




BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1061







TRACTATUS  
DE ECCLESIA ET MISSIONE  
MINISTRORUM

R. D. ALBERTI BORKOVSKI,

Quo Socinum cum Theophilo impugnare, & Miedzibozium  
defendere conatur:

Brevis Refutatio.

Scripta

ab

Eodem THEOPHILON NICOLAIDE,  
mense Martio, anni 1614.



EGMUND

10.901

RACOVIAE,  
Typis Sternacianis.

AD LECTOREM.

**F**AVSTVSS SOCINVS, nemini Theologorum, multiplici & solida rerum divinarum scientia & pietate, secundus, dum invis esset, brevem, ante multos annos tractatum conscripserat, qui, ipso defuncto, in publicum fuit editus, quo nervosè, ut solet, ostendit, questionem de Ecclesia, quenam sive apud quos sit, non esse necessariam: Hunc refutare conatus est Andreas Miedzibozius. Huic refutationi ego defensionem opposueram ante septem annos, quam anno 1612 demum certis de causis edidi. Hanc defensionem R. D. Albertus Borcovius impugnandam suscepit. Quis qualis sit, ex hac response cognosces. Nunc, quid in præfatione sua dicat, expende. Socinum, Arianam impietatem in hisce partibus non parum promovisse, ait, & eum Arianorum Rabinum appellat, quem Arianum esse nemo haftenus docere potuit: imo alii adversarii Arianum esse negant. Credere se ait, quod ideo sine nomine tractatum suum ediderit, quod eum in eptiarum suarur suppuderet. Tu vero, lector, ipso jam mortuo eum excusum es, scitos & magnas viros doctos causas habere, quare, suppressis minimis, interdum scripta sua edant, nec ipse, ut credo, diffitetur Borcovius. An vero sint incepta, quod tractat Socinus, terpus, veritatis pater docebit. Reliqua sibi. Liberum enim est Borcovio credere, an ante annos quinq; scripta fuerit defensio mediummodo reveta ita se habeat. Tu vero, candide lector, eorum qua occasione hujus questionis de Ecclesia & missione Ministri rum dicuntur, eum usum esse persuasum habe, quo vix alius tempore potior esse queat. Hic enim modus est, afferendi solius scripturae, in controversiis de religione, autoritatem, quamdiu non afferitur, perpetuo errandum est. Itaque remote præjudicio lege, & quod bonum est, tene. Vale.

XVII-1061-II

TRACTATUS DE ECCLESIA  
& Missione Ministrorum, R.D. ALBERTI  
BORKOWSKI,

REFUTATIO.

**E**RGO & mihi tecum res est R. D. Borcovi. Dico, te, malæ cau-  
sa & socii tui D. Miedzibozii, non bonum esse defensorem.  
Nam & multa eorum, quæ refutanda tibi, nisi causam & so-  
cium deseruisse prudentibus videri velis, omnino fuerant; & quibus  
stantibus, causa Miedzibozii stare nequit, omisisti: & ea, quæ impu-  
gnanda suscepisti, expugnare tamen non potuisti, nec unquam pote-  
ris. Quæ omisisti hæc sunt:

1. Nihil respondisti ad id, quod Socinus & ego dixeramus, ex eo,  
quod Ecclesia in sacris literis commendetur, tanquam res divina,  
non consequi, eam esse inquirendam; quemadmodum nec ex eo,  
quod omnes fideles, tanquam divinum quid, commendantur, seque-  
tur, eos esse inquirendos: sed tantum, si cognita sit, interpretio haben-  
dum. Hoc verò stante, multa correre necesse est, quæ super hoc fun-  
damento, cōmendationis scilicet Ecclesiæ, struitis Pontificiis. Et Me-  
dzibozius deseritur, qui Sycophantam Socinum ideo appellaverat.

2. Ecclesiæ esse arcarii Noë, in qua, qui non est, aquis diluvii ab-  
sorbeatur necesse sit, idque Petrum Apostolum dicere, non docuisti.  
Hoc autem dixerat Miedzibozius, & a me reprehensum fuerat.

3. Hæreticum eum esse, qui, quæ suis placitis obstatore videt, e me-  
diotollere conatur, non docuisti, quod affirmaverat Miedzibozius,  
a me verò erroris argutum fuerat.

4. Quis hæreticus sit, nusquam tetigisti, cum tamen, nisi hoc deci-  
datur, nihil in hac quæstione rectè tractari possit. Nos hæreticum  
eum esse dicimus, qui talia dogmata in Christi Ecclesiæ infert, quæ  
vel universam fidem Christi, vel partem ejus potissimum & essenti-  
alem, vel, ut aliis verbis idem dicamus, quæ vel veram Dei & Christi  
gloriam, vel veram pietatem tollunt. Hoc autem facere Pontificios  
doceamus. Gloriam enim Dei apud eos, per cultum imaginum, San-  
ctorum mortuorum, Virginis Mariæ, & hostiæ Sacramentalis: Glori-  
am item Christi, per nimiam, quæ tribuitur Papæ Romano, exaltati-  
onem, tolli contendimus: Veram denique pietatem, per infinita Ec-  
clesiæ decreta, superstitionum plenissima, & quæ speciem tantum pi-  
etatis habent, sublatam esse afferimus. Cur igitur crimina hæc non  
purgasti?

5. Non curasti , ut aut Miedzibozium in gravi ejus lapsu juvares, quem cap.2. commisit, dum Socino, respondentis partes tuerintur, affinxit argumentationem, eamque tamē, qualem nunquam ipse somnivit: aut aliqua ratione agnosceres tantum lapsū, sed, fatus nescio quā audaciā, falsissima etiam pro veris venditare non dubitasti, & nos ita opprimere, & terrorē nobis incutere te posse putasti tuo magisterio, ut ne respiraturi quidem in re etiam justissima simus.

6. Dixerat Miedzibozius , *Quasi verò Catholici ex sola autoritate Ecclesiae, & non etiam ex sacris literis dogmata sua probare soleant.* Hic ego magnū errorem in Miedzibozio animadverteram, qui ultrò concedat, Pontificios ex Ecclesiæ autoritate etiam dogmata sua probare. Quasi scilicet duo sint principia, quibus dogmata fidei probari possint, Ecclesia & sacra scriptura, quo nihil pestilentius excogitari potest. Ad hoc tu connives, qui præ nimia arrogantia vix ipsum nosti, & indigna esse aīs, quæ scrips̄eram, refutatione.

7. Necessarium esse ad salutem, sententiam Christi de divinitate, qualem hodie sectantur plerique, de Spiritu sancti persona, de baptismo parvolorum, de veritate corporis Christi in Eucharistia, quod dixerat Miedzibozius, ego verò falsum esse ostenderam, non probasti, nec probare unquam poteris. Et tamen, hoc stante, quod dixi, magnam Ecclesiæ vestræ ignorantiam & errorem apparere necesse est. Hæc enim ad salutem, nescio quid non, necessarium esse statuit, & quomodo necessaria ad salutem ab utilibus differant, nullo modo intelligere videtur.

8. Calumniam Miedzibozii, qui dixerat, Socinum affirmare, omnia quæ in controversiam veniant, collatis inter se, scripturæ sacræ locis, definiri ab unoquoque posse, nec agnovisti, nec defendisti. Et tamen hæc cantilena vestra est communis, quod apud nos unusquisque scripturas explicet.

9. Causas, cur, etiam si hominibus Deus tantum veritatis revelari, ut de salutari doctrina judicium ferre possint, id tamen illi non faciant, nec approbasti, nec refutasti. Quomodo igitur gloriaris de refutatione omnium, quæ sunt alicujus momenti? Cum,stantibus his causis, error Miedzibozii & tuus appareat, qui ex eo, quod quidam eorum, qui a Papa secesserunt, non agnoscent pro Ecclesia Christi, alios, qui eandem salutarem etiam doctrinam habent, colligis, falsum esse, quod dixerat Socinus, eum, qui salutarem doctrinam cognovit, statim agnitorum, quinam sint Christi Ecclesia.

10. Cavillum Miedzibozii, qui nos eō, quod baptismum aquæ indifferentem agnoscimus, Anabaptistas appellat, non agnovisti: imo ipse

5

Ipse eum in isto cavillo imitaris, ut scilicet vocabulo exoso nos etiam exosos reddas. Cum tamen tribi tuisque potius ista vox, si ad tempora & facta Apostolicae Ecclesiae vestra examinentur, competit, quā nobis, qui nemini eam ob rem ullam creamus molestiam.

11. Caluminiam Miedzibozii, quod Anabaptistae ideo sacram Scripturam conferant, ut probent, Christum non esse Deum, defendere aut noluisti aut non potuisti, nec tamen calumniam esse fateris, quā vix major esse potest.

12. Impuritatem Miedzibozii, qui ait, nos spiritu, vel potius flatu, non cedere Evangelicis, non accusasti, aut castigasti, ut amicum verum decebat.

13. Concilia collationibus scripturarum ineptè a Miedzibozio opponi, cum in conciliis, collationes etiam fieri possint & debeant, vel non considerasti, vel saltem studio præteriisti, quod bonum defensorem non decebat. Hoc verò est unum ex maximi momenti rebus, quæ hic a nobis tractantur. Vos enim, si concilium obtineatis, creditis, vos jam a sacra Scripturæ jure & jugo liberos esse, qua re vix aliquid magis impium dici potest. Omnia enim concilia a sacris literis pendere debent, in iis, quæ ad salutem hominum spectant.

14. Non curasti, quod dixi, de differentia Concilii Apostolici, & aliorum, quæ in eo potissimum consistit, quod, ut illud non necessaria ad salutem proponebat, sic nec necessariò cuiquam ea imponebat. Vestra verò Concilia, res ad salutem necessarias subinde novas, fingunt, & sub capitulis poena recipi ab omnibus volunt.

15. Quam ineptè dixerit Miedzibozius, ad Christi præcepta addenda fuisse præcepta Apostolica: quām impiè autem, addenda etiam fuisse ecclesiæ præcepta, ne verbo quidem indicasti. Ego verò tanti momenti hanc rem esse judico, ut totius quæstionis cardo circa eam versari jure dici possit. Nam si constet, nullum esse præceptum Ecclesiæ, quod cum Christi præceptis conjungendum sit, parumne constat, totam Romanæ Ecclesiæ concidisse autoritatem, quæ ita sibi in populum Christi imperium vendicat, ac si esset alter Christus.

16. Verba Christi: Si Ecclesiam non audierit &c. simpliciter esse accipienda, quod Miedzibozius ajebat, nullo etiam verbo docere dignatus es. Et tamen, si verba ista restringenda esse constet, nempe, ut tantum de eo sermo sit, quomodo castigari aut puniri debeat is, qui in alterum peccavit, & non vult resipiscere, ad monitum unius atque alterius & totius Ecclesiæ, nempe ut habeatur pro publicano & Ethnico, iterum de sede sua dejecta est Ecclesia Romana, quæ ob ista

Christi verba tantum se pro Deo nobis non venditat. de quo vide pag: 35.36. defensionis meæ.

17. Iustum esse consecutionem Miedzibozii: Christus jussit deferri delinquentem ad ecclesiam. Ergo jussit ut Ecclesia inquireretur, docere neglexisti.

18. Rationi consentaneum fuisse, ut Christus præciperet, Ecclesia inquirere, dixerat Miedzibozius. Hoc ego falsum esse docueram pag: 38. Tu vero Miedzibozium non defendis: sed malum augens, dicens, non necesse fuisse, ut Christus id præciperet. Quam recte vero videat lector in response ad cap. 2. hujus tui tractatus.

19. Gravissimum errorem Miedzibozii, qui est, quod nemo de sicutari doctrina certus esse possit, nisi ex testimonio Ecclesiae, nec defendisti, nec tetigisti, & tamen ea dixeram pag: 40., quæ ansam tibi cum defendendi, si potuisses, dare poterant.

20. Ecclesiam esse omnium fidelium magistrum, nec docuisti, nec errorem esse agnovisti, de quo vide pag: 41.

21. Ineptissimum Miedzibozii disputandi modum, qui multa pro concessu sumit, quæ probanda erant, & suæ Ecclesiae nos autoritate premit, de quo non pauca dixeram pag: 42. 43. non defendisti, & tamen Miedzibozius te judice semper vera loquitur.

22. Schismaticos græcos errare in eo, cuius causâ habentur a Pontificiis pro schismaticis, quod ego negaveram, non docuisti. & tamen hoc stante, error vestrae Ecclesiae appetet, quæ ideo passa sit Ecclesiam Christi lacerari, quod alii nollent cum illa in errore consentire.

23. Papam Romanum Ecclesiae esse caput, quod ego graviter accusaveram pag: 46., docere neglexisti: quo tamen non ostendo, quid valet vestra adversus nos præsumtio, quæ inflati, vix audire potestis, si quis aliquid adversus placita vestra dicat?

24. Quæ de necessariis ad salutem differueram, ea susque deque habuisti: Et tamen, si vera sunt, quæ loquimur, (ut sunt verissima) quis non videt, quanto haec tenus in errore plarique Christiani a multis seculis demersi fuerint, & etiam num sint, & quam graviter contra Christianam charitatem peccatum sit, dum ob levissima ecclesias placita, quæ alii spernebant, multæ hominum myriades crudelissime contradicatae fuerunt, & hodie ob eadem, Inquisitionis Hispanicæ diabolicum artificium exercetur, & gravissima odia & persecutions inter Christianos, & hic in nostra Polonia vigent. Quis salutarem doctrinam non habent, iuregnant: qui eam habent & profitentur, ab aliis summa cum licentia condemnantur. Vide, quomodo ad omnia responderis, quæ alicujus momentis sint in defensione mea. Rejicis tu id qui-

Id quidem superciliosè sub finem libelli tui: sed quām justè, videant  
lectores pii & prudētes. Tanti enim est momenti hæc quæstio, ut vix  
ulla sit majoris. Hæc si omnibus nota esset, plenus esset orbis Chri-  
stianus pace & unanimitate: quæ sperari nō potest, nisi iis tantum,  
quæ ad salutem necessaria sunt simpliciter, quorum paucissimus est  
numerus contenti simus, in reliquis autem liberum arbitrium aliis  
relinquamus.

25. Errorem Miedzibozli, qui Socinum doctrinam salutarem pro  
nota Ecclesiæ habere, afferit, non agnovisti, nec excusasti, nec defen-  
disti.

26. Autoritatem Ecclesiæ nullam esse, nisi ea ex scriptura afferat-  
tur; & proinde non ex Ecclesiæ autoritate pendere sacras literas, vel  
sensem illarum, quod ego gyrum appellaram inextricabilem, nus-  
quam te tigisti: & tamen hic errorum ferè omnium origo est. Nam si  
autoritas hæc Ecclesiæ non sit, quam tu cum Miedzibozio somnias,  
constat certè, modum sacras literas intelligendi, rectissimum esse,  
quem nos proponimus. cùm nullus alias dari possit.

27. Quām ineptè locus Esaiæ cap: 2. ad demonstrandum, prius co-  
gnosci debere Ecclesiam, quām doctrinam salutarem, a Miedzib: ad-  
ductus fuerit, quod ego ostenderam prolixè pag: 68, 69. nec agnovi-  
sti, nec defendisti.

28. Ad ea, quæ de diversitate religionis Apostolicæ & rituum in  
ea, ab Ecclesia Romana primitiva & moderna differo pag: 76. mutus  
es. & tamen, si ea vera sunt, quo jure Ecclesia vestra Romana, titu-  
lo illius sese palliat?

28. Quia dixerat Miedziboz: *Eſtne credibile totum orbem fuisse de-  
mentatum, ut id non videret quisquam neque ex amicis, neque ex inimi-  
cis,* ego non pauca responderam, pag. 89. quibus sanctibus, apparet,  
corruptionem in Christi Ecclesiam irreplisse, quod prorsus negat  
Miedzibozius cum suis. Hæc tu, Bórcovi, omnia magno animo con-  
tempsisti. nam nihil ad ea respondes usquam.

30. Cùm diceret Miedzibozius, nos, Ecclesiam Romanam adulte-  
râsse Christi doctrinam, non aliter probare, quām scripturas ad nō-  
strum institutum torquendo, ego id falsum esse dixeram. & alium,  
modum, quo docemus, Ecclesiam Romanam Christi doctrinam ad-  
ulterâsse, ostenderam, & prolixè etiam illustraram, quiescebat, quod dō-  
cemus: Ecclesiam Romanam contraria illis statuere, quæ in sacris li-  
teris expressè continentur, pag. 91. 92. 93. Quo stante, fortissimum  
arcu vestra admovimus aritem, cuius illa impetum sustinere nullo  
modo

modo poterit. Tu verò, ac si hoc ne obiter quidem indicatum esset,  
nec mentionem ejus fecisti.

31. Miedzibozii sive astutiam sive inertiam, qui quædam omittit  
maximi momenti, ea verò, quæ cavillis obnoxia sunt, arripit & mi-  
rificè tractat, cur aut non excusat, aut agnovisti? Quia idem ipse fa-  
cis in tuo scripto. Qui verò hoc agunt, non veritatem querunt, sed  
victoriam, quod in scriptore pessimum est argumentum & indicium.

32. Audacissimam Miedzibozii fallaciam, qui pro cognito & non  
cognito, quæ contradictionia sunt, si secundum idem, de eodem & e-  
odem tempore prædicentur, reposuit aliquoties notiorem & ignoti-  
orem; & ita, quod gravius est, loquentem etiam Socinum facit, non  
damnasti, sed frigidissimè tegere & abscondere voluisti, quod homine  
candido an dignum sit, judicent cordati.

33. Romanam Ecclesiam non propriè esse Christi Ecclesiam, sed  
æquivocè: & pastores illius, non esse veros pastores docueram pag:  
117. & tamen tu ista omnia videre noluisti, nedum refutare.

34. Miedzibozium vocabulum Prophetæ pro iis tantum accipien-  
tem, qui futura pronunciant, monueram ego: Tu autem illum nec  
defendis, nec excusat.

35. Inconstantiam in ecclesia Romana esse, seditiones etiam &  
bella ab illa mota fuisse, quod ego docueram, nec negasti, nec defen-  
disti.

36. Paulum & Barnabam ab Apostolis missos fuisse, quod ego in  
Miedzibozio, id affirmante, reprehenderam, sicco proflus pede præ-  
teriisti: & tamen vera dicit tuus Miedzibozius, scilicet.

37. Dixerat Miedzibozius, multa alia præter prædicationem &  
administrationem Sacramentorum, Ministris verbi divini facienda  
esse. Hoc ego riseram: Tu verò, quia te fortasse puduit istorum mul-  
torum, unà cum Miedzibozio, istud etiam omisiisti gnaviter.

38. Ob blasphemiam tantum & impietatem hominem fugiendum  
esse docueram, pag: 171. Hoc stante, & vos ipsos hæreticos & fugien-  
dos esse, & alias a vobis iniquissimè pro hæreticis, qui vitandi sint, ha-  
beri, constat. Hoc tu, quia scilicet nullius esset momenti, transiisti.

39. Non semper veritatem agnisci, etiamsi solidè proponatur,  
docueram allatis rationibus ex sacris literis. Hoc tu silentio involvi-  
sti, & tamen res est non minimi momenti.

40. Christum in cœnæ institutione certos homines designasse,  
qui cœnam illam distribuerent, falsum esse prolixè docueram: Hoc  
tu pariter sicco pede transi,

41. Errores Miedzibozii non paucos & non leves, notāram pagina 174, 175, 176. Hos omnes nullo verbo defendisti.

Mitto alios lapsus, fallacias, errores, cavillationes Miedzibozii, a me annotatas & comprobatas, quas si recensere vellem, nimis fortasse jure meo uti, & lectoris patientiam abuti viderer. Videant igitur, qui veritatem amant, an jure Borcovio objecerim, cum multa eorum, quae refutanda fuerant, omisisse.

*Quæ verò impugnasti, & tamen nec expugnasti, nec expugnare poteris unquam, nunc ordine videamus.*

**REFUTATIO CAPITI I.** cuius titulus est:  
*Non rectè Socinum ab audacia & temeritate vindicatum.*

**A**N verum sit, quod in hoc titulo affirmat Borcovius, sic iterum expende, benevolē lector. Miedzibozius ait, Socinum affirmare, quæstionem de ecclesia, eamque omnem, esse inutilem; & ideo Socinum esse audaciorem, quām par est: Ego ostendo, Socinum affirmare, quæstionem de Ecclesia, non omnem, sed aliquam, nempe quænam & apud quos sit, esse; non simpliciter & absolutè, sed vel propemodum, vel quodammodo inutilem. Nonné hic duplex est cavillus vel potius caluminia ut ego dixeram? nonné rectè vindicatus ab ea audacia Socinus, quam objicit illi Miedzibozius?

Borcovius, Miedzibozii defensor, miseram hanc esse defensionem ait: Cur verò? Quæso te, ait, Theophile, si quispiam esset, qui te inutile propemodum terræ pondus diceret, hunc tu honorifice de te sentire existimares? Certè non puto. Idem ergo de Ecclesia existima, cuius cognitionem, cùm Socinus inutilem propemodum dixisset, nimis contemtim & abjectè de illa locutus est. Quām civilis, præsertim in Reverendo, sit hæc defensio, aliis judicandum relinquo: quām vera & ad rem pertinens, paucis docebo. Dico, astutè terminos mutari a Borcovio. Aliud enim est de ipso homine: aliud, de quæstione quadam ad hominem spectante, loqui. Si quis de homine ita loqueretur, ut loquitur de me Borcovius, contemtim eum de homine loqui, jure dici posset: At, si de quæstione aliqua, de homine instituta, exempli causa, an anima hominis ex traduce generetur vel non, illud affirmaret, is, nullo jure, contemtim de homine loqui, dici posset. Ita etiam, si quis de ipsa Ecclesia dicceret, eam esse propemodum inutilem, vel certè non necessariam, is contemtim & abjectè de illa loqueretur, & dignus esset magna reprehensione: at si quis, quæstionem aliquam de ecclesia, que-

*Quid Socinus de quæstione de Ecclesia dicat,*

*Aliud est, de ipsa Ecclesia loqui, aliud de quæstione ad Ecclesiam spectante.*

per se res divina est, institutam, nempe quænam sive apud quos sit, proptermodum inutilem vel certè non necessariam esse dicat, is non nisi per cavillum & calumniam, de ipsa ecclesia concemtim & abje-  
ctè loqui, dici potest.

Sed autdiamus alia Borcovii verba, quæ sic habent: *Quod attinet ad necessitatem Ecclesie, operose tu quidem probare conaris, nihil contra illam à Socino dictum esse, sed aqua tibi heret, ut ajunt, & ipsa Soci- ni verba suprà allata te refellunt. Utrumque enim ille afferit: nempe Ecclesie cognitionem & inutilem esse, & minus necessariam. Loquitur autem non solum de necessitate per se, ut tu non satis considerare affirmas, sed de necessitate simpliciter. Sic enim habet infra: Nonne aperte constat, si quis salutarem Christi doctrinam teneat, illum vel agnitu- rum statim, quinam sint ii, qui similiter salutarem Christi doctrinam habeant ac profiteantur, quos suprà diximus, esse veram Ecclesiam, vel, ut cognoscat, non modo per se, sed ne ex consequenti quidem es- se necessarium. Ita ille: quibus verbis indicat Ecclesie cognitionem non esse necessariam penitus. Quero enim, quid sibi vult illud, ne ex conse- quenti quidem? nempe neque per se neque per accidens, ut loquuntur, at- que ita nullo modo: & tamen tu ostendere conaris, illum non simpliciter hoc negasse, sed certo quodam respectu, Miedziboziumque calumniato- rem vocas, quod ea imponat Socino, quæ nunquam somniarit. Attende hinc iterum, lector cordate, quomodo se gerat Borcovius. Primum cur ait, me probare conari, nihil contra necessitatem ecclesiæ dictum a Socino esse? Nihil de ipsa ecclesia dictum erat a Socino, sed tantum de quæstione ad ecclesiam spectante, quænam scilicet sive apud quos sit. Quomodo igitur, contra necessitatem ecclesiæ nihil a Socino di- ctum esse, probare conari potui? Cui simile etiam illud est, quod Bor- covius repetit, Socinum utrumque affirmare, nempe ecclesiæ cogni- tionem & inutilem esse & minimè necessariam. Nam non cogniti- onem ecclesiæ, sed quæstionem de ecclesia, quænam vel apud quos sit, non simpliciter, sed proptermodum inutilem, vel certè non necessari- am esse, Socinus afferit. Itaque cavillum & calumniam Miedzibozij auget Borcovius. Deinde quæ istæ accusatio est, quod operose pro- baret conor, nihil a Socino contra necessitatem ecclesiæ dictum esse, cùm de eo probando ne cogitârim quidem, nec, ut cogitare m, opus esset ullo modo? Tantum enim dixeram, Socinum in initio scripti sui de ecclesia, dicere, quæstionem de ecclesia, quænam vel apud quos sit, non esse necessariam, idq; ipsum, non prorsus simpliciter de qua- vis necessitate, sed de necessitate per se, intelligi velle. opponens hæc Simplicia illius verba assertioni nudæ Miedzibozii, qui dixerat, Soci- num*

*Cavilli Borco-  
vii.*

num omnem de ecclesia quæstionem inutilem esse censere. Porro, quid est, quod Borcovius ait, Socinum non solum de necessitate per se, sed de necessitate simpliciter loqui? Num opponuntur per se & simpliciter, & non potius idem sunt? Sed hoc lapsu Borcovii indicato, gravior fallacia ejus detegenda est. Quod enim Socinus de certis hominibus & respectu certo dixerat, id simpliciter accipit Borcovius. Socinus ait: Si quis jam salutarem doctrinam feneat, ei non modò per se, sed ne ex consequenti quidem esse necessarium, ut agnoscat ecclesiam, hoc est, quinam sint alii, qui eandem doctrinam salutarem teneant. Nihil enim ei (ut mox addit) quod ad cognitionem attinet, deesse ad salutem maternam necessarium potest, qui salutarem Christi doctrinam teneat, quo nihil verius dici potest. At de eo, qui salutarem doctrinam nondum tenet, id nunquam dixit Socinus. Huic enim, licet non sit per se necessarium, cognoscere ecclesiam: dici tamen potest, ex consequenti vel per accidēs, necessarium esse, ut eam cognoscat, quatenus scilicet necesse est, ut agnoscat salutarem Christi doctrinam, quâ cognitâ, ecclesia statim agnoscerit.

Impudentiam meam vocat Borcovius, quod Miedzibozium calumniæ accusem: Sed docendum erat, Miedzibozium calumniâ non esse usum. Alioquin sentient omnes, frustra me ita accusari a Borcovio. Dura autem est vox calumniatoris, quâ ego nunquam sum usus. Calumniator enim est, qui calumniandi habet consuetudinem, quod ego de Miedzibozio nec dixi, nec dicere ausim. Nec calumniam denique illi simpliciter ullam objeci. Sic enim habent mea verba: *Hic in ipso statim capitis argumento dupliciter lapsus est Respondens, vel dupli potius usus est carillo, ne dicam calumniam.*

Sed concessō hoc, ait Borcovius, Socinum tamen culpâ non vacare, etiamsi non simpliciter neget, quæstionem de Ecclesia, esse necessariam, dummodo neget, eam esse certo respectu, nempe quænam sive apud quos sit, necessariam. Hoc verò quomodo probat? Nā hoc, ait, est potissimum, quod in Socino reprehendebat Miedzibozius. si qua enim est necessitas cognoscendi Ecclesiam, illa est, ut sciamus, quænam & apud quos sit, qua cum sustulisset Socinus, & minime necessaria dixisset, ecquid tandem reliquit, unde Ecclesiæ cognitionem necessariam esse existimemus. At quæso quid hoc est aliud, quām principium pertere, vel saltē rem controversam nude assertere? Probare Borcovius debuit, necessariam esse quæstionem de Ecclesia, quænam & apud quos sit. Hoc quia non fecit, frustra est, quod Socinum accusat.

Sed audacior saltē est, ait, Socinus ceteris hereticis. Quid tum postea. Num hac de re instituta erat quæstio? Faciant alij & sentiant

Cui non sit ne-  
cessarie, cognosce-  
re, quanam vel ap-  
pud quos sit ec-  
clesia.

*Injusta repre-  
hensio Borcovia*

*Borcovius prin-  
cipium petit.*

quod velint, & in defensione sui procedant suo modo: Num ideo culpandus is est, qui alio modo procedit? Eludere alios nostis, dum notas Ecclesiæ afferunt: jam, cum nota illæ non necessaria esse docentur a nostris, audaciam nostram, in angustias coacti, accusatis. Quasi scilicet non liceat unum & idem argumentum diversa ratione impetrare, & ejus infirmitatem vel etiam errorem ostendere.

Dum verò hoc Borcovius ideo a nostris fieri existimat, quod quæstio de Ecclesia, quænam & apud quos sit, molesta nobis sit, quippe qui consciens nobis simus, Ecclesiam Dei apud nos non esse, in eo Miedzibozium & suos imitatur, qui ea divinant, quorum nullum extat vestigium in nobis. Non nobis sed vobis molestum esse, moveri hanc quæstionem, magis magisque dies docebit. Nam hac quæstione dissoluta, quid tandem supererit, quo gloriemini, & alias præ vobis contemnatis? Nobis autem satis est, docuisse, sufficere, si cognoscatur vera & salutaris doctrina, & hoc ipso in ecclesia eum esse, qui illam tenet & profitetur.

Lutherus non est  
haereticus.

Audacia Borco-  
vii.

Error Ebionita-  
rum.

Iren: lib:3 c:23.24.

Euseb: lib:6. c:16.

Hier: in Epistola  
ad Augusti: cuius  
initium est: Tres  
similis epistolæ.

Lutherum haereticum esse, ut non probaret Miedzibozius, sic nec probat Borcovius, nec probare poterit unquam. Nihil enim, quod fidem in Christum per se & naturâ suâ tolleret, in Ecclesiam invexit: sed ea, quæ multis retro seculis ad fidem in Christum revertendam apta, irrepererant, Deo juvante, detexit, & bona ex parte ex Christi ecclesia exterminavit. Quicquid in Ebionitas convenit, id totum in Luthero etiam reperiatur, nimis etiam audacter dictum est a Borcovio. Ebionitæ enim, ut testantur Irenæus, Eusebius & Hieronymus, ex Iosephio natum esse dixerunt Iesum, vel de Iosephio & Maria natum, & nudum hominem dixerunt: Legis ceremonias Evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera amitterent. Solo Matthæi Evangelio utebantur, quia sic Hebræum, Paulum tanquam Apostolam Legis rejicientes: Prophetas curiosius exponere nitebantur, & circumcidebantur, ac perseverabant in illis constitutionibus, quæ sunt secundum legem, & iudicato charactere vitæ utebantur, & Hierosolymam adorabant, quæ dominus Dei sit. Quæ omnia, quomodo, quæ so, salvâ conscientiâ & justiciâ, probare de Luthero vel cogitare poterit Borcovius?

Pontificios a nobis haereticos appellari, pessime, ut apparet, habuit Borcovium, & stomachum ei movit. Oblitus enim personæ disputatoris, nimis pro imperio, nos fures & maleficos imitari, ait, qui judicem, apud quem causam dicere debent, omnibus contumeliosis onerent. Sed duo committit enormia Borcovius, quæ si suo nomine appellarem, indignaretur proculdubio. Prius, nempe Pontificios vel

vel Romanam ecclesiam judicem nostrum esse, præterquam quod arrogans illum est, falsissimum etiam propositus censendum est. Quonodo enim is, qui a nobis & a posteriori Christiani orbis parte accusatur, & qui crimen purgare debet, judecere potest? præsentim cum nullus omnino humanus judecet, propriè loquendo, cuius iudicio in religione necessariò standum sit, ostendit possit, ut a nostris luculentissime demonstratum est alibi. Lex enim Christi non compellit quenquam ad obediendum sibi, quod per iudicem absolutum fieri omnino necesse esset. Præterea ratio ipsa non permittit etiam, ut judecet aliquis talis sit. Nam ante cognitionem causæ aut cum alterutra partium sentire eum oportere, aut cum neutra. Si cum alterutra, jam inter eos ponetur, aut certè cognitorem, qui item alterius tractet, non iudicem ageret: si cum neutra, jam in erroreversari credetur, & sic ad eum neutra pars provocare posset. Posteriori, omnes scilicet, qui a Papatu secesserunt, furū & maleficorū similes esse, qui iudicem suum omnibus contumeliis onerent, præterquam quod impudentissimum est, nihil pariter cum vero commune habet. In omnibus enim, quæ extra religionē sunt, pares sunt Pontificiis, & numero fortassis illis superiorēs: in iis vero, quæ ad religionē pertainēt, profus illis præstant. Solum enim Iesu Christi Evangelium in religione sectandū sibi proposuerunt, & ad illud vitam moresque suos componere generatim satagunt: a quo utroque pontificiū absunt quam longissimē. Nam ecclesia etiam traditiones pro norma fidei habent, & variis tuis superstitionibus, tum peccatis implicati sunt.

In hac sua arrogantia & impudentia pergeens Borcovius, ait: Sed ut iudici non obest, à furibus hoc aut illo nomine vocari, sic neque Romanæ Ecclesie obesse poterit. Quicquid tandem faciat, illa quidem, ut adhuc factum est, autoritatem suam obtinebit, vos vero infelici Apostatae soboles, infames eritis, & nisi resipiscatis, præter inferorum flamas, etiam hoc consequemini, ut de insanía vestra nulla unquam etas coniceat. Ad quæ hæc audiat. 1. Ut plurimum obest ei, qui alios accusat, si ipse criminis sibi objecta purgare nequeat; & cum reus sit, judecere esse velit: sic etiam obfuturum est perpetuō, apud pios & prudentes, ecclesiæ Romanæ, quod alios hæresis accuset, a quibus ipsa, hæresis accusata, forum declinat, & iudicem se constituit. 2. Autoritatem suam Romanæ ecclesia, ut antea factum est, non obtinet. Iam pridem enim ecclesiæ Orientales eas rejecerunt: & hodie dimidium Europaæ eandem rejicit. Quid igitur ista valet gloriatio? 3. Apostatae, qui ecclesiæ Romanam deseruit, sobolem esse, nulla est insanitia, sed summa gloria. Nam & bona conscientia & vita æternæ ista apostasia causa

Apostasia ab Ecclesia Romana commoda,

Autoritas Romana ecclesie frater.

Reus non potest esse judec.



Reformatæ Ecclesiæ præstant Romanæ.

Romanæ ecclesiæ nō est judec controversiarum in religione.  
In refutatione Campiani Iesuitæ.

nobis est, si veritati agnita obediverimus. 4. Infames, qui a Papatu discesserunt, apud quem tandem esse possunt, præter pontificios? Sed & moderatores aliter sentiunt. Nam foedera & societates, imò etiam matrimonia contrahunt cum illis: Reliquorum verò, qui affectu potius quam ratione ducuntur; iudicia quanti facienda sunt, ipsa res loquitur. Præstat autem Deum habere propitium quam homines. 5. Inferorum flammæ debentur illis, qui Deum non norunt & non obediunt Evangelio Iesu Christi. Videat igitur Borcovius, ne ipse met eum suis, qui Idololatriæ toti sunt dediti, in illud judicium incidat, quod tamen tantum abest, ut illis imprecemur, ut potius Deum pro illorum conversione & salutē perpetuò ore mus. 6. Defensia nostra nullam unquam æratem tacituram, & incertum & parvi est momenti. Nam si omnes ad Evangelii vocem convertantur, quis tandem insaniam, ut ait Borcovius, noltram prædicabit? Hoc autem fieri posse, cur non speremus, siquidem tam brevi temporis spatio, tantam hominum multitudinem ab ecclesiæ Romanae placitis defecisse, videmus? Et si tandem maneant, quide insanía nostra non conticeſcent, illud nobis cogitandum proponemus: *Beati estis, cum omnine malum verbum dixerint adversus vos, mentientes propter me.*

Quod gratias nobis agit Borcovius, quod Pontificios, sua Ecclesiæ homines, appellemus, non tollit id, quod ægrè id ferre Miedzibozium dixeram. Rectius autem facit Miedzibozius, qui ægry ferre vindetur, se ab homine mortali & erroribus obnoxio appellari, quam Borcovius. Nam nec Apostoli quenquam a se appellari passi sunt, neç ullo modo culpandi sunt, quicunque ad solum Christum appellant, sed docendi sunt, quod, cum Christum profiteantur, non debeant errores religioni illius contrarios sectari. Vnus enim Doctor & magister noster est Christus: nos autem omnes sumus fratres, ut Christus ipse testatur.

Dixeram, pontificios, non nisi invitatos, ad Scripturas trahi in disputationibus de fide susceptis. Hoc splendidum admodum mendacium appellat Borcovius. Dura sanè ctiminatio, & Theologo valde indigna: eoque intolerabilior, quod nudè tantum prolata, nec id refutatum est, quo verum id esse, quod mendacium appellat Borcovius, docueram. Iudicet ergo lector, qualis sit disputator Borcovius. Vtus est est autem artificio suo, dum, loco ejus, quod docere debebat, se cum suis, nonnisi invitum, ad Scripturas descendere in disputationibus de fide susceptis, sic ait: *Hoc ita esse, & vos, ni fallor, satis experti estis, cum illa opinionum portenta, de duobus diis, de creatura honore divino contenta, de Christi ante mortem suam in calum ascensu, & similia in religione*

**Infamia** quatenus  
curanda in reli-  
gione.

**2. Thess: 1. 8.**  
Quib's debetatur  
flamme inferoru.

Quatenus curan-  
da hominum cen-  
sura.

**Matth: 5. 22.**

**2. Cor: 1. 12.**

**Matth: 28. 9, 10.**

onem Christianam invexistis. Ad illa enim non nisi necessitate summa compulsi estis. Nam cum à pertinacia vestra desistere nolletis, neque tam  
men videretis, quomodo scripturas, quæ veram Christi divinitatem affe-  
runt, evadere possetis, hic delapsi estis, ut illa monstrat opinionum indu-  
ceretis, de quibus inter Christianos ne fando quidem auditum est. Accu-  
sat nos Boreovius ejus, cuius nos eum accusamus. At hoc primùm  
non est, crimen objectum purgare, sed culpam suam communem  
cum aliis facere, si ita esset, ut de nobis affirmat Borcovius. Deinde  
quid hoc ad propositū, etiam si nos, non nisi summa necessitate com-  
pulsi, monstra, quæ recenset Borcovius, invexissimus? Num hoc  
nunc in quaſſione versatur, qualia dogmata, coactusquis necessitate,  
invexerit in Christi religionem? & non potius objicitur, Pontificios,  
non nisi coactos, ad sacras literas confugere, malle autem controver-  
ſias decidi per ecclesiam & ejus traditiones, quod ipsemet Borcovius  
paullò antè confessus est, cum Romanam ecclesiam judicem esse  
dixit? Denique an monstra sint, quæ nos, de Deo uno Patre, & uno  
Domino Iesu Christo, de filio hominis divino honore colendo, & de  
existencia ejusdem in celo ante ascensum, docemus, patebit ex re-  
ſponsione, jam ad monstra a Smiglio conficta, in publicum edita.

## REFUTATIO CAPITIS II. cui titulum fecit:

*Figmentum est Socini, quemlibet, si doctrinam salutarem tene-  
at, eo ipso esse in Ecclesia.*

statutum. **H**ec iterum rem breviter sic accipe lector. Doctuerat Socinus in-  
ter alia, cur non sit necesse, ecclesiam ex notis cognosci, quod  
volunt Pontifici, quia per se non necesse sit, inquire & agnoscere ve-  
ram ecclesiam. Hoc rursus comprobaverat, quod ad salutem conse-  
quendam satis sit, Christi præcepta servare. Hunc verò nusquam præ-  
cepisse, ut ecclesia inquireretur. Nam, si objiciatur, necessarium esse, ut  
quis sit in vera Christi ecclesia, & propterea necessarium simul esse,  
ut quis veram Christi Ecclesiam inquirat & agnoscat, negaverat hanc  
consecutionem Socinus. Simul enim, atque quis Christi salutarem  
doctrinam habet, jam eum vel re ipsa in vera Christi ecclesia esse, vel  
ut sit, non habere necesse inquirere, quanam sit vera Christi Eccle-  
sia, cum id jam noverit. Novit enim, quinam sint alii, qui eandem  
Christi salutarem doctrinam habent. In hac ratiocinatione Socini,  
non minus arguta quam vera, nihil sanum, nihil integrum esse, ostend-  
surum se promittit Borcovius. Audiamus ergo quid dicat: *Nam in  
primis, ait, quis concesserit Socino, nihil esse faciendum, nisi quod a Chri-*

*Quod Boreovii suo præceptum sit?* O Theologum acutum. Proba igitur Borcovii, aliquid esse faciendum, vel, quod idem est, nos facere teneri, quod a Christo præceptum non sit, nisi pro insigne audaci simul & imperito haberi velis. Sed hoc factum te nunquam, non tantum mihi persuasissimum, sed etiam apud omnes, qui aliquid sapiunt in Theologia, certissimum est. Et tamen tu aliis ita insultas, ut eos & rudes esse, & nihil intelligere dicere non erubescas, qui tam graviter & turpiter in Theologia erras. Si dicas, te probasse, faciendum esse aliquid, quod a Christo præceptum non sit, per ea quæ addis: *Quam multa sunt facta a sanctis hominibus, quæ a Christo præcepta non quam leguntur?* magnam iterum tibi ignorantiam non possum non objicere. Probandum enim erat, faciendum esse aliquid, quod Christus non præcepit: Tu vero probas, factum esse aliquid, quod Christus non præcepit. Num quæ facta sunt a quibusdam, facienda erant aut sunt? Num quod fecit Magdalæna & Matthæus, facere tenebantur? Apagè istam ruditatem: & pudeat te istius tui protervi & insolvi scommatis, dum ait: *Valeret fortasse, (nempe satis esse ad salutem, Christi præcepta servare) aliquid Racoviæ inter aniculas, quæ a suis edicto & nihil censemt esse recipiendum, nisi quod disertè extet in scriptura: apud nos tamen nullam vim habent talia pronunciata: quippe falsissima, & quæ multis argumentis jam sunt a nostris non semel refutata.* Quasi scilicet aniculae tantum degant Racoviæ, quæ viros doctos fortasse tot habet, quot ulla alia, quatumvis populosa Poloniæ civitas, si Academias excipias. Sed hoc levius est. Gravius illud, quod iterum nimis turpiter terminos & statum questionis mutat Borcovius. Ait enim, apud se non valere ista pronunciata: nihil scilicet esse recipiendum, nisi quod disertè extet in scriptura. Quasi scilicethoc nunc in questione versetur. Certe & Racoviæ norunt multi, & nos id publicè editis libris profitemur, multa esse recipienda, quæ in sacris literis disertè non extent, nempe ea omnia, quæ necessariâ consequentiâ ex illis elicî possunt: At faciendum esse aliquid, quod a Christo præceptum non sit, hoc nemo, nisi vel rerum parum peritus, vel Spiritu Antichristi inflatus, dicere unquam ausus fuit. Christi enim præcepta expressa esse, necessarium prorsus est: at aliam mysteria, ex literis sacris excerpti posse, sufficit. cùm sine Christi præceptorum observatione salus nulla speranda sit: at multa sacrarum literarum mysteria, absque jactura salutis ignorari posse, ipsa experientia testetur. Et hoc primum est eorum, in quibus graviter hallucinatus est in hoc capite Borcovius.

Alterum non est hoc primo levius, dum ait: *Deinde quid oportuit Christum principere inquire Ecclesiam, cùm hoc esset simpliciter ad salu-*

*Nihil facere tem-  
nemur, quod  
Christus nō præ-  
cepit.*

*Terminos & sta-  
tum questionis  
mutat Borcovii-  
bus.*

*Differentia inter  
Christi præcepta  
& alia mysteria.*

*tem necessarium?* Quidenim est principium petere, si hoc non est? Probare id quidem nititur Borcovius, dum ait, cognitionem & inquisitionem Ecclesiae esse medium simpliciter ad salutem necessarium: Sed hoc est principii petitionem repeteret, & falsa audacter asseveraret. Nam quae Scriptura id unquam affirmat? ex qua scriptura id deduci potest? Si simpliciter ad salutem necessarium esset, cognoscere & inquirere Ecclesiam, nonne Christus id præcepisset, cum nihil sit ad salutem necessarium, quod Christus non præceperit?

Hanc suam audaciam Borcovius miram nobis futuram prævidens, sic ait: *Negabis fortasse cum tuo Socino, inquisitionem ecclesiae esse medium simpliciter ad salutem necessarium: sed illud tantum requiri, ut, qui salvari velit, in Ecclesia sit, erit autem, si salutarem doctrinam teneat. Hoc tamen stare non potest, & est tam falsum quam quod falsissimum, si quidem potest aliquis salutarem doctrinam habere, & tamen in Ecclesia non esse, quod videre est in excommunicatis & schismaticis.* Divinalisti, Borcovi, nos negatuerosistud tuum pronunciatum. Cur igitur de illo probando non cogitasti? Hoccine est disputatoris, qui veritatem inquirit, rem dubiam proponere, & statim eam deserere? Esto falsum esse, quod nos affirmantes facis: non tamen erit verum, quod tu affirmas, Borcovi, nisi vel testimonio sacrarum literarum, vel ratione aliqua ex illis petita confirmetur. Artificium hoc Sophistarum esse non ignoramus, cum tu & tibi incumbat probatio, alterius impugnare sententiam. Quo ista dextra, dicimus, totum istud, quod de excommunicatis & Schismaticis assertur, partim infirmum & fallax, partim refutatum esse antea. Nam quod ad excommunicatos attinet, sciendum est, in ecclesia esse, dupli modo considerari posse. Nam & illi in ecclesia Christi sunt, licet minus propriè, qui salutarem ejus doctrinam profitentur, etiam si illi non obediant. Quo sensu Christus Iudeos semen Abrahami esse concedebat, quod tamen alias filios diaboli esse contendebat: & alibi servi Christi appellantur, qui seducebantur ad fornicandum & idolothyta manducandum. quo sensu hodie omnes etiam, quicunque, in omnibus mundi partibus, Christi nomen profitentur, Ecclesia Christi dici possunt: Et illi ecclesia Christi sunt, qui salutari doctrinæ, quæ profitentur, obediunt, quo respectu ecclesia, Christi sponsa, & Christus ejus Servator, dicitur. Ecclesia rursus ista, quæ salutarem doctrinæ profitetur, licet ei non obediat, considerari potest, tanquam universalis: quæ vero eandem & profitetur, & ei obedit, ut specialis. Iam excommunicati licet non sint in ea ecclesia, quæ propriè sic appellatur, vel in particulari a qua segregantur: non possunt tamen privari nomine ecclesia vulgariter & minus pro-

Excommunicati  
quatenus eriam  
sint in Ecclesia.

Joh: 8. 37.

v 44.

Apoc: 2. 20.

priè ita acceptæ, nec segregati esse censerit ab illa universalis ecclesia, quamdiu salutarem doctrinam retinent. Imò ex eo ipso, quod, ut Christus præcipit, tractandi sunt ut Publicani & Ethnici, patet, eos non esse Ethnicos re ipsa, nec desinere esse Christianos pro rorsus, ob excommunicationem.

Schismatici qua-  
tenus sint in Ec-  
clesia.

De Schismaticis verò dictum est, eos in ea tantum non esse ecclesia, a qua se segregant: interim in Christi ecclesia re ipsa esse, si salutarem doctrinam teneant. Quod a me fol: 44. & 46. disertè ostensum fuerat de schismaticis in genere, & declaratum in specie, exemplo Græcæ ecclesiæ, ut mirer, quomodo fraudem mihi objicere potuerit Borcovius, quasi scilicet, cum de schismaticis in genere loquatur Miedzibozius, ego de schismaticis in specie differam, qui tamen disertè ita scribo: *Quis schismaticus est, is non deserit aliquam ecclesiam, quam putet esse veram, quod est, nolle cum veris Christi membris habere communionem: sed eam, quam deserit, ideo deserit, quod eam falsam esse credit.* Itaque non vult habere communionem cum membris Christi falsis, ex suo sensu. Loquitur nunc de schismaticis in genere. Hactenus mea verba. Alia etiā his similia habes fol: 45, quibus doceo, separationem istam, quam schismatici faciunt, nullo modo efficere, ut illi non sint in ecclesia, dummodo salutarem doctrinam habeant.

Repetitio dif-  
fusa.

Porrò dum ait Socinus, facilè agnitorum eum, qui salutarem Christi doctrinam habeat, quinam sint ii, qui similiter salutarem Christi doctrinam habent ac profiteantur: Miedzibozius verò hoc falsum esse eo docere volebat, quod ii, qui ab ecclesia Romana secesserunt, & quos salutarem doctrinam habere nos constemur, alii alios non agnoscant, quin imò persequantur: Ego dixeram, non esse abusum cum ipsare, nec id, quod per accidens sit, cum eo, quod perse fieri posse dicitur, confundendum. Sensum autem verborum Socini esse, cum qui salutarem doctrinam habeat, facilè agnoscere posse, quinam sint ii, qui similiter eam habeant: interim fieri posse, ut, quemadmodum docui in defensione mea, multa interveniant, quæ hoc judicium impedian. Docueram etiam, fuisse quosdam insignes ex Evangelicis, quid agnoverint. Docueram denique, nostras ecclesias, quæ hic in Polonia sunt & alibi, illud idem agnoscere & palam profiteri. Ad hæc quid Borcovius? Ait, *satis est, quod ostenderit Miedzibozius, nos, qui ab ecclesia Romana secessimus, nos mutuo re ipsa non agnoscere pro Christi ecclesia.* Sed hoc iterare tantum est verba Miedzibozii, non defendere eum, quod sibi Borcovius proposuerat. Dico igitur de novo: Socinum loqui de eo, quod per se & naturâ rei inspectâ fieri debeat, vel re ipsa fiat; & cum, qui salutarem doctrinam te- net, &

Quinam alios  
doctrinam salu-  
tarem profitentes  
agnoscere possit.

net, & profitetur, ita considerare, ut ab aliis, quae salutaris doctrina non sunt, profusus sit liber: Miedzibozius autem talem nobis introducit, qui praeter salutarēm doctrinā, quam tenet, variis erroribus, quos etiam pro salutari doctrina habet, implicatus est, vel saltem plura habet pro necessariis, quam revera sunt necessaria.

Ait iterum Borcovius, eos, qui a Romana ecclesia secesserunt, non tantum non agnoscere se invicem pro ecclesia, sed ne posse quidem, si maximè velint. Id verò quomodo probat? Nam stante, ait, fide, quam habent Lutherani & Calviniani, de Christo ejusque vera divinitate, nunquam animum inducere poterunt, ut vos Arianos in Ecclesia sua habere velint. imò si ita res ferat, millies ad Papistas redire mallent, quād vobiscum commercium aliquod habere, quod vel inde patet, quod non potest illis quicquam gravius accidere, quād si quispiam vos ab illis prognatos asseveret. Hæc verba ascribere libuit, ut speciestantūm, quam veri habere videntur, tanto magis appareat. Videsne, benevolè lector, Borcovium etiam ipsam rem cum hominum ignorantia & abuso confundere? Novimus quidem & experti sumus, quæ sit hac in re Evangelicorum pertinacia, quæ stante, agnoscere eos pro Christi ecclesia nequeunt, qui ea revera sunt: sed si rem ipsam per se consideres, jampridem a nostris demonstrarum est, & demonstrare porrò semper parati sumus, stante sententia Evangelicorum de Christo & ejus divinitate, nos unā cum illis non tantum esse posse, sed etiam teneri esse unam ecclesiam; & per quos stat, quominus id fiat, eos graviter peccare, & si scientes id faciant, ob causas quasdam carnales, vel saltem parum spirituales, de salute etiam periclitari. Nam, quæ apud eos de Christo & divinitate ejus viget, sententia, non tollit per se fidem in Christum & veram sanctimoniam, sine qua fide, & sanctimonia, impossibile est Deo placere vel Dominum videre. Itaque speramus, Deo adjuvante, fore, ut malint nobiscum esse in una ecclesia, quād ad vos redire Lutherani & Calvinistæ, præsertim magis sobrii, quorum hīc potissimum habenda est ratio. Quod si fiat, quid tum dicaret Borcovius cum suis? Nonné tunc constaret, eos, qui salutarem doctrinam habent, agnoscere eos, qui similiter doctrinam salutarem habent & profitentur?

Porrò digrediens a re, ut ipsem fateretur Borcovius, carpit id, quod dixeram, inter nos & omnes, qui a Papatu secesserunt, (sic enim locutus eram, non verò de solis Lutheranis & Calvinistis) de fundamento fidei convenire. Sed sine ratione. Sic enim ait: *At illi negant, & non video, cur magis ea in re vobis credendum sit, quād illis: Sed parum est hoc illos negare, nisi similiter rationes affrant, cur id*

Omnes qui a Papatu secesserunt, una sunt Ecclesia.

Heb: ii. 6.  
& ii. 14.

negent, vel potius, nisi nostras, quibus id probamus, evertant rationes, quibus tantibus, videre potest Borcovius, cur magis nobis ea in re credendum sit, quam illis. Sed ipse metu Borcovius patrocinium suscipit Evangelicorum, & docet, non esse idem fundamentum nostri & Evangelicorum, dum in hunc modum ait: *Nonne Christus pertinet ad fundamentum fidei?* Igitur & illa, ex quibus constat, nempe humana & divina natura, de qua, cum inter vos & illos non conveniat, quomodo fieri potest, ut idem fundamentum fidei habeatis? Fatemur, Christum non tantum pertinere ad fundamentum fidei, sed etiam solum esse fundamentum ejus. Negamus autem, omnem de Christo sententiam, ad fundamentum fidei pertinere. Satis enim esse, si credatur, Iesum esse Christum, luculenter & copiosè testantur sacrae literæ, in primis vero D. Iohannes in Epist.: ubi ait: *Quis est mendax, nisi is qui negat, quod Iesus non est Christus?* & iterum: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum (esse) Christum, qui in carne venit, ex Deo est.* & iterum: *Omnis qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo natus est.* In hoc igitur, quia nobis cum Evangelicis, & omnibus qui a Papatu secesserunt, convenit, idem fundamentum fidei nos habere, jure gloriai possumus, Imò, ut, quod res est, dicamus, cum ipsis etiam Pontificiis, communionem Christianam non ideo detracendam esse, credimus, quod credant, Christum ex duabus constare naturis: sed quod ea credant, quibus tantibus, credi nequit, Iesum esse Christum, de quibus jam satis alibi in defensione & hac refutatione dictum est.

Frustra igitur id astutiam nostram appellat Borcovius, quod maximum ferè, in nostras ecclesias a Deo collatum, beneficium censendum est, quod scilicet tenemus, tuni quod sit fundamentum fidei, tum quæ sint ad salutem necessaria dogmata, idque rationibus firmissimis asserimus. Magna vero est audacia, ne quid gravius dicam, Borcovii, dum ait: *Credendum est, quod Ecclesia Christi tanquam a Deo revelatum proponit, & quidem ita, ut nihil eorum, quæ credenda exhibet, pertinaciter negetur.* Hoc enim, nec quoad verba nec quo ad sensum, uspiam scriptum extat. At ait Borcovius: *Neque enim Christus, cum Apostolos mitteret ad prædicandum, voluit credi hoc aut illud duntaxat, sed absolute dixit, qui crediderit & baptizatus fuerit, indicans omnia, quæ ab illis proposita essent, credi oportere.* Sed hic duplex est error & fallacia. Primum enim de ecclesia instituta erat a Borcovio quæstio: argumentum vero cur in Apostolis finit? Nutri idem est ecclesia, quod Apostoli? At hoc nihil falsius dici potest. Apostoli enim fundamentum sunt ecclesiæ: ecclesia vero ecclesiæ fundamentum esse nequit. Credimus igitur omnia, quæ Apostoli docuerunt: & ob id ipsum ea, quæ

Non omnis de  
Christo sententia  
pertinet ad fun-  
damentum fidei.

Joh: 2. 22.

& 4. 2.

& 5. 10.

Audacia Borco-  
vii.

Duplex Borcovii  
error & fal-  
lacia.

Apostoli & Ecclæ  
sia differunt.

ea, quæ ecclesia, nempe Pontificia, extra doctrinam Apostolicam, docet, credere non possumus, quia scilicet ab illis, quæ Apostoli docuerunt, non tantum diversa, sed etiam illis adversa pleraque esse apparet. Deinde omnia, quæ ab Apostolis tradita sunt, credenda esse necessarij, tum demum dici potest, si quis ea intelligat. At, si de quibusdam dubitet, & causas dubitandi justas habere videatur, quomodo cavera esse credere potest, cum quicquid sine fide, hoc est, sine certa de aliqua re persuasione sit, peccatum sit. Nonne Apostolus docerat, legem ceremonialem sub Evangelio nullam esse: & tamen plurimi erant, qui ea de re dubitabant, sine jactura salutis? Non licet igitur non credere ea omnia, quæ quis vera esse cognovit: at fieri posse, ut aliquis multa eorum, quæ vera sunt, pro veris nondum habeat, & tamen servetur, nemo negare potest, nisi potissimum humani generis partem condemnare velit.

Sed audiamus aliud argumentum Borcovii, si sufficit, ait, aliqua ratione credere, hac ratione nec Turcarum fides esset mala. Nam & illi quædam de Deo Christové credunt. Sed nos non dicimus, sufficeret, aliqua credere: sed contendimus, requiri ad salutem, ut quis credat, Iesum esse Christum, teste sacra scriptura. Quæ creditio (ut sic loquar) & fiduciam in Christo collocatam, & obedientiam præceptis illius debetam, necessarij complectitur. Hoc vero, quia non credunt Turcae. Nam Iesum mortuum esse negant, ac proinde resuscitatum cū esse credere non possunt: Christum porrò neque adorant neque invocant: denique non ex Christi, sed ex impuri Machometis præscripto vivunt, quod est, Christum divina potestate privare, imo negare, eum esse Christum, quomodo, quæso, huc adduci a Borcovio, nisi animo malevolo, potuerunt? Budnæo insultet Borcovius, si is non credidit, quod Turcae credunt, non nobis, qui unâ cum omnibus Christianis credimus, Iesum conceptum ex Spiritu Sancto, natum esse ex virginе Maria.

Digressione hac absoluta, ad rem redit Borcovius, & inter nos & alios non convenire nec convenire posse iterum ait, & docet eo, quod Servetum Calvinus combusserit, & Lutherani de nobis omnibus supplicium sumendum esse decreverint. Sed ad hoc jam responsum est, non esse scilicet errores allegandos, & ignorantias quorundam; nec confundendum id, quod fit per accidens, cum eo, quod rei natura secum fert. Nam quod Calvinus fecit, id plerique Calvinistæ & tunc reprehenderunt, & nunc non approbant magis pii. Quod Servetum Messiam nostrum appellat Borcovius, in eo ingenio suo indullit, cuius cum ob vocationem pudere deberet. Messias noster Iesus Nazarenus

Credere, quæ quis non inteligit, peccatum est.

Rom: 14. 23.

Argumentum  
Borcovii inc-  
piissimum

Turcarum infide-  
litatis.

De Serveto judi-  
cium.

est: Servetus frater noster & servus Melissæ unâ nobiscum fuit, qui vitam profundere, quâm sententiam de Iesu, quam veram esse credebat, descrevere maluit, quæ res valde jucundam ejus apud nos reliquit memoriam, & perpetuam illi apud omnes bonos commendationem, & apud Deum gloriam, paritura est: Calvinus vero Christo, nisi resipuit, rationem ejus facti olim reddet. Quæ Lutherani de nobis omnibus statuerunt, ea ipsorum ignorantia, & zelo scientiâ carenti, ascribenda sunt; & hinc agnoscendum est, illos plura pro salutari doctrina habere, quam habenda sunt re ipsâ: & præterea ex Papatu hanc contagionem secum attulisse, in quo nemo tutò vivere potest, nisi in omnibus cum aliis conspirationem simulet. Quanquam contra nostros nihil unquam decreverunt Lutherani, sed contra Anabaptistas. Nos vero, quia baptismum aquæ rem indifferentem esse statuimus, & in eo id sequendum docemus, quod publica ædificatione exigit, & Christiana charitas postulat, quomodo illis accenseri possumus?

Alteram meam responsionem, quod scilicet insignes ex Evangelicis viri, agnoverint pro Ecclesia omnes, qui sunt extra Papatum, ita repellit Borcovius: Neque te juvat Acontii & Banossi testimonium. Nam illi de suis Evangelicis loquuntur, de vobis ne verbo quidem mentionem faciunt; & si facerent, non unius aut alterius, sed omnium commune judicium hic spectandum ebet, qui vos ne Christianorum quidem loco habent, tantum ab est, ut vos pro suis agnoscere velint. Sed nec ego dixeram, eos nostrj mentionem facere: tantum ex eo, quod uterque scribit, apparere docueram, eos nec nos ab Ecclesia rejicisse, stantibus illis, quas ex scriptis illorum adduxeram, sententijs, Cui nunc addo ex Acontio illud, quod, formam Symboli fiduci Christianæ descripturus, sic illud ordiatur: *Vnum solum verum Deum novi, & eum, quem ille misit, Iesum Christum, filium ejus, & spiritum Sanctum, &c.* Vnde sancte nimis manifestè apparet, eum, ut etiam paulo antea docuerat, velle, ut ea tantum in symbolum fiduci referantur, quæ iisdem verbis expressæ & disertæ in sacris literis continentur. Quo admisso, jam, nostras ecclesias pro Christi ecclesiæcum agnoscere, constat. Quicquid enim in sacris literis continetur, id totum recipimus: & contrarium illi nihil prorsus admittimus. Nego autem, hinc vulgi vel omnium Evangelicorum judicium curandum esse. Plurimi enim, ut in defensione docui, hac de re vel nunquam cogitârunt, vel rationibus carnalibus in transversum rapi se passi sunt. Satis est docuisse, viros quosdam insignes ex illis hoc perspexisse. Hinc enim constat, non vi religionis Evangelicæ fieri, quod alios alii persequantur, sed vitio-

Acontii de forma  
Symboli fidei  
Christianæ sen-  
tentia, lib: 7. Stra-  
tagematum.

vitio ipsorum Evangelicorum. Quomodo enim alias id vidissent alii,  
qui tamen pro Evangelicis semper sunt habiti?

Tertiam meam responsione in sicco pede transit Borcovius, for-  
tasse contemtu nostri. Sed contemnere aliquem, non est cum refuta-  
re. En vides, quod nostra Ecclesia, quae, ut in Deo gloriemur, nulla re-  
cedunt aliis, agnoscunt pro Christi Ecclesia omnes, qui salutarem do-  
ctrinam tenent, quantumvis in multis alioquin rebus dissentiant.  
Hinc constat, verum esse, quod, qui salutarem doctrinam habet, faci-  
lè etiam agnitus sit, quinam sint ii, qui similiter salutarem doctri-  
nam habent.

Sub finem capit is ait, se de traditionibus ecclesiæ nolle mécum  
litigare, quod hæc ad causam non pertineant, & obiter tantum a Mie-  
dzibozio dicta sint. Sed errat Borcovius. Nam ad tollédam vim argu-  
menti Sociniani, quod scilicet sufficiat ad salutem, si quis Christi præ-  
cepta servet, allata fuerant a Miedzibozio præcepta Ecclesiæ. Defen-  
dendus igitur non deserendus erat Miedzibozius. Non nescimus autem,  
quare in tanta veritatis luce Traditiones suas defendere Borco-  
vius tergiversetur. Pudet scilicet eum id defendendum suscipere, quod  
defendi nullo modo apud prudentes potest.

Sed mavult me docere Borcovius, dum ait: *Interim tamen te do-  
cebo, non continuò sequi, si ecclesia aliquid statuat, quod non expreßè in  
sacris literis habeatur, illam contra verbum Dei facturam. Habet enim  
spiritum Dei, a quo regitur, neque unquam committet, ut aliquid con-  
trarium iis, quæ a Deo præcepta sunt, statuat: & tamen pro tempore &  
renata feret leges fidelibus necessarias.* At ego dico: 1. Nimiris audacter  
id tribui ecclesiæ Romanaæ, quod veræ Christi ecclesiæ convenit.  
Romana enim ecclesia Christi ecclesia corrupta est, quâ vitam & quâ  
confessionem. 2. Nec minus audacter illud dicitur, posse Ecclesiam  
veram leges fidelibus necessarias (nempe ad salutem) ferre pro tem-  
pore & re nata, quod nec ullò sacrarum literarum testimonio, nec ra-  
tione, nec verisimilitudine probari potest. Quod spiritum sanctum  
attinet, a quo ecclesia regitur, is non in eum finem datus illi est, ut  
novas leges, præter eas, quæ a Christo & Apostolis latæ sunt, ferat, sed  
ut a Christo latas leges intelligat, & observet. Non permittit etiam  
spiritus sanctus, ut ecclesia contrarium quid præceptis divinis statuat,  
quamdiu ecclesia se regi ab illo patitur: sed quia Deus per Spiritum  
suum neminem cogit, imò ecclesia degenerare & Spiritui Dei resiste-  
re potest, fieri etiam potest, ut spiritui divino contraria multa præci-  
piat. Ad ordinem in ecclesia conservandum, posse nonnulla ab eccl-  
esi constitui, non negamus: ad salutem vero necessariò pertinens ni-  
hil pro-

Ecclesiæ nou-  
strarum senten-  
cia.

Ecclesia Romana  
non est vera eccl-  
esiæ.

Nullum Ecclesiæ  
præceptum ad sa-  
lutem necessari-  
um est.

Spiritus sanctus  
eur datus eccl-  
esiæ,

Spiritus sanctus  
neminem cogit.

Quatenus eccl-  
esiæ autoritas va-  
leat,

hil prorsus ecclesiæ constituere licere, persuasissimum nobis est. Et nota hæc est spiritus Antichristi, præter Christi præcepta, aliquid ad salutem necessarium proponere vel præcipere. At ait Borcovius : *Non frustra dictum est illi. Quicquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Fateor non frustra dictum id esse. Sed duo nego: 1. Dictum hoc esse ecclesiæ. Dictum enim est, ex mente Borcovii, soli Petro, ex nostra autem Petro, & sub ejus nomine Apostolis omnibus. Apostolos autem & Ecclesiam diversa esse, jam suprà demonstravi, & ipsa res loquitur. Datur enim ecclesia sine Apostolis: & Apostoli si ne ecclesia (ut vulgo hæc vox accipitur) considerari possunt, 2. Negro hanc legationem, quando de ecclesia etiam prædicatur alibi, significare vel includere potestatem ferendarum legum, quibus obligantur fideles. Ipsa enim rerum complexio, de solis hominibus in Christi ecclesiam vel adoptandis, velex ea ejiciendis, verba ista accipienda esse, manifestè demonstrat. Qua de re extat satis prolixa disputatio super verba Christi Matth: 16. a nostris nuper edita.

Ligatio ad quos  
pertineat, Mat: 16

Ligatio quid sit,

In tractatu de ec-  
clesia.

### REFUTATIO CAPITIS III. cuius titulus est :

*Nec apud Anabaptistas, nec apud quosvis sectato-  
res esse Ecclesiam Christi.*

Repetitio ante  
dictorum.

**H**oc docere vult Borcovius eo, quod ecclesia semper esse, pasto-  
resque aspectabiles perpetuo nexu sibi succedentes habere debuerit. Ad hoc ego responderam, non tantum, quod hic recenset Borcovius, minimè necessarium esse, ut ecclesia Christi aspectabilis semper extiterit: sed etiam, quod dici possit, semper extitisse veram ecclesiam, quatenus semper iij extiterunt, qui salutarem doctrinam tenuerunt, si scilicet ecclesia non censeatur numero, sed sola veritate. Idque inde constare, quod per omnia ferè secula fuerint Doctores, qui cum illis, qui salutarem doctrinam habebant, conflictati sint: Imò quod inter illos ipsos, qui multos errores tuebantur, vera tamen ecclesia aspectabilis esse potuerit, imò fuerit. Hoc totum omittit Borcovius, ut appareat, eum non tam veritatem quam vistoriam querere, & causas me cavillandi captare. Sed hoc ita indicato, videat lector, quid de Borcovio sentiendum sit. Nunc dico, Borcovium, licet fusiūs, ut ait sub finem hujus cap:, nobis id explicarit, quam Mie-  
dzibozius, nihil tamen effecisse. Primum enim nec probavit, nec probare unquam poterit, necessarium esse, ut semper extet vera Christi ecclesia aspectabilis, quæ scilicet salutarem doctrinam habeat. Et

at. Et certè non culpâ caret, quod, aggressurus hujus rei probatiō-  
nem, tam prolixus est in docendo, ecclesiam debere esse visibilem.  
Hoc enim frustra propositus est, cùm nemo nostrum id unquam nega-  
verit: sed sponte confitemur, per vocem ecclesiæ, simpliciter ita ac-  
ceptam, sapè intelligi ecclesiam a spectabilem. Hoc ipsemēt Borco-  
vius prævidens, tandem ad ipsam quæstionem accedit, & ait: *Aliter  
saluti hominum, qui sese ad Ecclesiam aggregare debent, consultum non  
erit. Si enim omni tempore homines salvandi sunt, sequitur omnibus eti-  
am seculis ecclesiam expositam esse debuisse, cùm, ut dictum est, nemo ex-  
tra ecclesiam salutem consequi possit. Sed hoc argumentum falsa pri-  
mū nititur hypothesi. Nam aquæ incertum est & falsum, homines  
omnibus seculis esse salvandos, ut incertum est & falsum, omnibus  
seculis ecclesiam fuisse. Cùm enim Deus homines tradit in sensum  
reprobū, & vim erroris illis mitit, ut credant mendacio, ut judi-  
centuromnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniqui-  
tati, quomodo tunc dici potuit, homines salvandos esse? Cùm item  
Babylonia ex vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes, quo-  
modo omnes salvandi erant? Liberum scilicet Deo est permettere,  
ut unā cum veritate ad tempus & ipsa vera Christi ecclesia intereat,  
ut in restauratione illius tantò major Dei & Christi appareat provi-  
dētia & potestas. Deinde fassum esse dico, si Deus velit omni-  
bus seculis homines servari, velle cum etiam, ut omnibus seculis sit  
exposita ecclesia. Posse enim aliquem salutarem doctrinam tenere &  
profiteri, etiamsi vel nemo sit, qui unā cum eo illam teneat & profi-  
teatur, vel saltem ita longè absit ab illa, ut sese ad eum aggregare nul-  
lo modo possit, ipsa res loquitur. Nonnē enim lobus, Lothus & alii,  
etiamsi essent inter medios hostes constituti, nec ad quenquam alio-  
rum aggregati, revera Dei erant cultores? Nonnē, qui vel in Italia, vel  
Hispania, vel India salutarem doctrinam tenent, salvari possunt, eti-  
amsi ad nullam sint aggregati ecclesiam? Nonnē idem sentit de suis  
Borcoviis, quos se habere credit in Anglia, & aliis regnis, in quibus  
libertas exercenda Pontificia religionis non conceditur, eos scilicet  
servari posse, etiamsi ad ecclesiam Romanam nunquam publicè se ag-  
gregent? Nec immerito. Nam si doctrinam salutarem haberent, jam  
essent in ecclesia re ipsa, & ad eam pertinerent, ubivis locorum exi-  
stentem: quemadmodum omnes, qui doctrinam salutarem tenent,  
re ipsa ad ecclesiam pertinent & in ea sunt, ubicunque tandem alii  
sint, qui doctrinam salutarem tenent & profitentur. Et cùm dicitur,  
extra ecclesiam servari posse neminem, non is istorum verborum  
sensus est, quem Borcovius fingit, quod nemo, etiamsi doctrinam sa-*

Borco vius pro-  
bar non nece-  
saria.

Rom: 1. 28.

2. Thes: 2. 15.

Deus non semper  
vult homines ser-  
vari.

Apoc: 14. 8.

Doctrinam salu-  
tarem habere, et  
esse in ecclesia.

Quo sensu extra  
ecclesiam non sit  
salus.

lutarem habeat, servari possit, nisi cum alius sit communione quadam & societate conjunctus. hoc enim non semper penes nos est, sed penes ipsum Deum: sed sensus est, ne minem servari posse, qui non habeat doctrinam salutarem. Hoc ipso enim est aliquis in ecclesia, quia illam doctrinam salutarem teneat.

Sed hoc omisso, alia addit argumenta Borcovius. Quorum primum est, *promissio Christi, quā pollicetur fore, ut contra ecclesiam ipsius nullae inferni vires prevaliturā essent, prevaluissent autem si Ecclesia deficeret.* Sed mutat Christi verba Borcovius. Christus enim non de viribus, sed portis inferni, loquitur. Portae autem inferni, idem sunt, quod ipsum infernum. ut portae mortis, idem sunt, quod ipsa mors. Infernum autem, non diabolum vel dæmones significat, sed statum & conditionem mortuorum. Vnde constat, Christum non promittere ecclesiā, eique qualicunque, durationem in hac vita perpetuam: sed ecclesiā, quae per excellentiam ita appellatur, hoc est, iis, qui ipso obediunt, victoriam de inferno, hoc est, de statu mortuorum. ita, ut dicatur, si Ecclesia manferat ecclesia, eam a morte vel inferno superatum nō iri: an verò mansura sit semper ecclesia, hoc nec hinc nec aliunde probari potest ullo modo. Et certè alibi a nostris & a me ipso demonstratum est, non posse extare promissionem de duratione Ecclesiæ, cùm hoc pugnet cum natura religionis, quae est, ut homines sponte sua Deum colant. Vbi autem promissio durationis est, ibine cessitas est, & spontanea voluntas perit. Non igitur facimus mendacem Christum, (quod satis impudenter nobis objicit Borcovius:) sed fallacem promissionis Christi sensum esse docemus, quem illi affingit cum suis Borcovius.

Quod verò (ut amplius argumentatur Borcovius) hac ratione, si scilicet desistere possit Christi Ecclesia, deterioris futura sit conditio ne, quam Iudeorum Synagoga, quæ nunquam defecit &c. id nimis triviale argumentum est. Nam & Iudeorum Synagogam nunquam defecisse, dici non potest. Cùm enim, ad idolatriam conversi, Deum suum deseruerunt, verus Dei populus esse prouersus desierunt, & noui, nisi nominetenus, ita appellari meritum sunt. unde illud Osseæ: *Vocabo non populum, populum meum:* Et si tamen illa non desisset, desinere tamen Christi Ecclesia potuisset, non quod, ecclesia Christi, quatenus vera ejus ecclesia est, deterioris sit conditionis, quam synagoga Iudaica, sed quod corrupta ecclesia Christi sit infelior, & tanto magis obnoxia divinis iudiciis, quanto major huic, quam illi contigit gratia. Nam ira de cælo, hoc est, antea inaudita, revelata est super eos qui Evangelium spreverunt; & nullus gravius Deus punivit unquam

*Psal: 9. 14.  
& 107. 18.  
Esa: 38. 30.*

*Quid ecclesia  
Promissum sit a  
Christo.*

*Perseverantia in  
fide nemini pro-  
missa est,*

*Argumentum  
Borcovii pueri-  
le.*

*Osee 2. 23.  
Rom: 9. 23.*

*Rom: 1. 18.*

quam

quam contemtores Evangelii. Quo accedit, quod spiritus sanctus de-  
fectionem a fide per Antichristum, sub novo Testamento prædictit,  
quod in veteri Fædere nusquam legimus.

2. Thess: 2. 2.

Matth. 16. non agi de Ecclesia invisibili, quod Socinus docet, fri-  
gidè probat Borcovius. Ait enim de eadem Ecclesia ibi sermonem es-  
se, de qua insr. c. 18. Matthæi. Sed hoc probandum erat Borcovio, non  
verò ita nudè affirmandum. Diversæ enim utriusque loci circum-  
stantia contrarium prorsus suadent. Ad id enim, ut quis ad Ecclesiam  
deferriri possit, satis est, eam extare asper & stabilem, etiamsi non constet,  
an Deo obediatur: ad id verò, ut ecclesiæ promiti possit, eam ab inferno  
non superatum iri, necesse prorsus est, eam Christo obedire.

Diversa vocis  
Ecclesiæ signifi-  
catio.

Addit denique hic aliquid Borcovius, nescio quo fine, certè sine  
omni justa causa, dum sic ait: *Quibus verbis Matthæi 1.18. aperte ostendit (Christus) in Ecclesia sua fore, non tantum bonos, sed etiam malos,*  
*quod de vestra invisibili dici non potest, quippe quam ex solis sanctis &*  
*electis constare dicitur.* Ad quæ opera pretium est pauca paulò accu-  
ratiùs respondere, præsertim cum aliquoties in hoc scripto prodat  
suam ignorantiam Borcovius, ut etiam Miedzibozius, in sententiade  
Ecclesiæ Christi invisibili. Primum vox *Fore* nimis prægnans est.  
Tantum enim non necessitatē infert, quæ tamen nulla in eo est, de  
quo differitur. Cum fieri possit, saltem ad tempus, ut nulli mali sint in  
ecclesia Christi asper & stabili, si non in omni, saltem in aliqua. Non-  
né enim Christus ad Ecclesiam, quæ Smyrnæ erat & Philadelphiae,  
scribens, ita eos commendat, ut nihil eis objiciat, in quo correctione  
vel resipiscientiā indigerent? Id autem proculdubio facturus non fu-  
isset, si tale quid in illis deprehendisset, ut appareat ex aliis ad alias ec-  
clesias epistolis, in quibus non tantum enormia peccata, sed leves e-  
tiam nævos, & interdum unum tantum acriter perstringit. Et quod de una atque altera ecclesia legitimus, quid impedit, quominus etiam  
de aliis cogitari possit? Sed non sunt censenda Ecclesiæ alias ex no-  
stris vel ex nobis, sed ex ipsa Evangelii virtute & natura. Itaque suffi-  
cit dicere, Christum ostendere his verbis, esse posse in ecclesia non  
tantum bonos sed etiam malos. Deinde quid hoc ad rem facit, Bor-  
covius, quod in ecclesia possint esse tam mali quam boni. Num ideo  
Romana ecclesia erit vera ecclesia, quia in ea sunt tam mali quam boni?  
Vel num ideo non est vera significatio vocis ecclesiæ, quam nos  
illi etiam tribuimus, quod scilicet interdum pro solis sanctis & elec-  
tis accipitur? Certè, etiamsi in ecclesia esse possint tam boni, quam  
mali: non est tamen vera Christi aspectabilis ecclesia, in qua mali  
sunt perpetuò. Nam mali, qui sunt in Ecclesia, quam mali, ferendi non

Potest ecclesiæ  
esse absq; malis.Apoc: 2. 8.  
& 3. 7.Malos in Eccle-  
sia non esse, quo  
senus dici possit.

sunt, sed aut ad frugem perducendi, adhibitis variis, quæ in Sacris literis extant, mediis & modis: vel tandem ex eadem prorsus sunt excommunicandi; ita ut dici non possit jure, in ecclesia esse tam malos quam bonos. Nam qui non feruntur in ecclesia, ita revera etiam non sunt in ecclesia. Loquor autem hic, ut supra etiam indicavimus de ecclesia particulari. Hinc Christus commendat etiam ecclesiarum Ephesianæ angelum, tū ex aliis virtutibus, tum ex ea quod malos sustinere non potuerit. Quod verò ad invisibilem ecclesiam attinet, expendum est, eam non isto sensu a nobis appellari, quasi nemo oculis aspicere eam possit, ut eam Borcovius & Miedzibozius accipiunt, qui invisibilem & latenter pro codem habent. Tam enī sunt visibles, ut alii, quos visibilem ecclesiam appellamus: Sed invisibilis ecclesia a nobis illi appellantur, qui Christo obediunt, idque ob eam causam, quod nemo sit hominum, qui perfectè scire possit, quinām Christo obedient, cum virtus simulari possit. Ita ut invisibilis ista Ecclesia, non tantum inter visibilem esse possit, sed etiam necessariò sit, & extra visibilem esse nequeat: & possunt iidem homines considerari, ut Christi ecclesia aspectabilis & inaspectabilis. Aspectabilis, quantum salutarem doctrinam tenent: Inaspectabilis, quatenus eidem doctrinæ salutari obediunt. Ut enim aspectabile est, & judicio nostro subjacet, quinām doctrinam salutarem habent, cum norma sit nobis tradita, secundum quam de doctrina salutari judicium facere possumus: sic rursus inaspectabile, nobis scilicet hominibus, est, an ii, qui doctrinam salutarem tenent, eidem obedient. An aliquis doctrinæ salutari non obediatur, & ita non sit ex numero servandorum, facile dignosci potest. Manifesta enim sunt opera carnis, quæ qui faciunt, ut regnum Dei possidere non possint, sic etiam revera fideles non sunt, aut vera membra ecclesie: sed, an aliquis salutari doctrinæ, quam profitetur, obediatur, nemo nisi Deus & Iesus Christus infallibiliter judicare potest. Nam ad obedientiam in primis requiritur cor hominis, quod nemo novit, nisi Deus & Iesus Christus. De omnibus qui dem qui externè piam vitam gerunt, benè sentire & sperare, vi legis Christi, quæ est charitas, tenentur: sed certò aliquid decernere de talibus, nemo hominum mortalium potest, ita ut huc facere videantur ea, cum Apostolus ait, Deum, iudicatum abscondita hominum, & alibi, dum ait: Ne iudicate quicquam ante tempus, quousque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo. Ex quibus jam videre potest Borcovius, quo jure nostram de ecclesia invisibili sententiam ita perfirinxerit.

Apoc: 2.2.

Quid sit Ecclesia  
invisibilis.

Gal: 5. 19.

Rom: 2. 16.  
8. Cor: 4.5.

Sed & aliud habet argumentum Borcovius. Hoc autem sumitur ex loco Ephesi:4. ubi, quia Paulus ait, Christum dedisse in ecclesia sua pastores in edificationem corporis sui, donec occurramus omnes in unitatem fidei, hinc Borcovius colligit, ecclesiam Christi visibilem semper futuram. Neque enim, ait, aut ministeria pastorum esse possunt in alia, quam visibili ecclesia, aut ea perpetuo durare, si desinant illi, circa quos ea exercerentur. Sed ad hunc locum responsum fuit antea a me, non dici in illo, perpetuo extituros pastores. Posse enim verba illa ad sola tempora Apostolorum referri, quibus scilicet adhuc multa extabant, quae ab unitate fidei erant remotissima, & tantum duceri, quod nam sit officium pastorum. Quod quia non refutat Borcovius, credibile est, eum hic dormitasse, vel studio id praeteriisse, quod refutare non admodum obvium erat. Non sine causa autem loco, dedit, quod est apud Apostolum, Borcovius habet reliquit, ut scilicet haec ratione tacite innuat, Paulum loqui non de suis tantum, sed etiam longe post securis temporibus, de quo paulo inferius plura.

Sed habet adhuc aliud, ex Daniele scilicet, qui regnum Christi ait esse aeternum, nullumque finem habiturum. Sed aut ignorans est Borcovius, aut sophista. Differunt enim regnum Christi, & ecclesia illius: & potest Christus regnum habere, etiam si ecclesia ejus ceteret, quemadmodum & Deus regnum habet, etiam si nemo fere sit, qui illi parcat, vel populus illius esse studeat. Tamen enim Deus & Christus regnat super eos, qui ab ipso defecerunt, quam super illos, qui illi obediunt. His ita leviter indicatis, Borcovius argumenta sua abrumpit, & ait: Sed in re clara quid opus est argumentis & deinde nos perstringit, qui cum non urbem, non villam, non domum demonstrare possimus, ubinam Ecclesia nostra ante centum annos fuerit, tales tenebras (nempe distinctionem ecclesiae invisibilis & invisibilis) comminisci coacti fuerimus, ut Indi, qui intra montes quosdam Caspios Regem & Sacerdotem & sacrificia se habere gloriantur, quod nemini accedere liceat. Sic scilicet isti faciunt, qui causae probationem desperant, ut spem verbis simulent, & alii insultent. Sed frustra est. Nam etiam si nos illud comprehendisceremur, quod ait Borcovius: tamen illi probanda ineuntibus perpetua ecclesiae duratio, quam quia nec probavit, nec probare potest unquam, videat cordatus lector, quam verum sit argumentum Pontificiorum, quod ex duratione suarum ecclesiarum, easdem veras esse colligunt. Praeterea quid nunc hic faciebat insultare nobis, qui ecclesiam invisibilis esse contendimus? Nos enim, ut negamus, necessarium esse, ecclesiam visibilem semper durasse: sic etiam negamus, necessarium esse ullo modo, ut ecclesia invisibilis semper fue-

Regnum & eccl.  
sa differunt.

Borcovius in re  
seria ludis.

rit: Imò si ecclesia visibilis perire potuit, multò magis invisibilis, cùm multò facilius sit salutarem doctrinam tenere & profiteri, quām eidem obedire.

Iam verò ex iis, quæ ad ea, quæ fusiūs explicavit Borcovius, respondimus, videat Borcovius & alii omnes, quām sapienter dictum sit sub finem hujus capitū, nos intelligere non potuisse, quod breviter insinuārat Miedzibozius de duratione ecclesiae. Non tantū enim intelleximus, quæ dixerat Miedzibozius, sed falsa etiam ea esse probè nos intellexisse, responsio nostra prior & hæc iterum indicat.

### REFUTATIO CAPITIS IV. cuius titulus est: Dari notas & propria signa Ecclesiae Christi.

Vana Borcovii  
divinatio.

**S**O C I N U M ideo negare notas esse ecclesiae, ut securè suos errores spargat, dum nullus sit, qui de illis judicium ferat, vana est Borcovii divinatio. Non enim negatis, ecclesiam esse, qui negat notas ecclesiae esse: Imò dum sine notis ecclesiam nihilominus esse contendit, nonné concedit, eum etiam esse posse, qui de illius sententiis judicet? Sed durum est judicium ecclesiae Romanæ de sententiis eorum, qui ab ea diversum statuunt. Statim enim, posteaquam quis iudicio illius non paret, facultatibus & vitâ, ubi id licet, privatur. Hoc iudicium verò an Christi Iesu mitissime ecclesia dignum sit, judicente omnes pii.

Deinde, cùm nullas notas ecclesiae a Pontificiis dari posse nec solere dico, stultitiam me meam prodere ait Borcovius. *Quid enim, ait, opus est probare, de quo nullus unquam dubitavist?* Omnia hæc semper fuit sententia, qui vitam æternam consequi velit, eum in ecclesia Christi esse debere: *Quia verò non constat, quæ & apud quos sit ista ecclesia, notas alias esse oportet, ex quibus cognoscatur, alioquin cognitio illius esset desperanda.* At sancte non magna in eo est Borcovii sapientia, dum & omnium sententiam id esse dicit, quod an omnes senserint, scire nec ipse nec aliis quivis ullo modo potest: & ex eo, quod omnium sententia fuerit, qui vitam æternam consequi velit, eum in ecclesia Christi esse debere, consequi affirmat, esse notas ecclesiae? Nonné enim possibile est, omnes (vel saltem plærosque) hac in re errasse? Et nonné satis est, salutarem doctrinam habere, & hoc ipso esse in Ecclesia?

Sed audiamus, quomodo se gerat Borcovius. Argumentum Miedzibozii reassumit, & docet, Ecclesia notam esse, universalem esse, hoc est, sine interruptione durare omnibus seculis, ex quo a Christo & Apo-

& Apostolis fundata est, idque hac ratione: *Quia semen verbi Dei, quod satum est in agro patris familias illius cœlestis, crescere debuit usque ad messem, seu ad finem mundi. Quia verò semen hoc ab aliquo spargendum erat, debuisse etiam esse seminatores, qui illud semper spargerent.* Porro quia sola Ecclesia Romana hoc semper fecerit, eam solam esse Christi Ecclesiam, reliquos verò non esse Christi Ecclesiam, qui ante Lutherum neque fideles nec pastores ullos habuerint. Hoc argumentum Miedzibozii a me dissolutum fuerat in defensione mea, & supra c. 3. iterum dissolutum est, quò lectorem remitto, ut videat, jurené Borcovius ita gloriabundus dicat: *Hoc tu refelle, si potes, quod scio non poteris, nisi fugiendo & tenebris offendendo, ut adhuc fecisti.* Nutio hoc addo dictis antea: Minimè ex eo, quòd semen verbi Dei, quod satum est in agro patris familias, crescere debuit usque ad finem mundi, consequi, semper fore, qui illud spargerent. Satis enim est, semel illud semen sparsum esse, ad id, ut duret usque ad finem mundi. velle autem, ut quæ in admodum singulis annis semen spargitur, sic etiam subinde semen verbi Dei spargatur, & sint, qui illud spargant, est velle, ut simile cutiat quatuor, quod ajunt, pedibus. Una semenis est verbi Dei, semel facta a Christo & Apostolis: hæc durabit perpetuò usque ad finem mundi. Quod verò faciunt alii verbi Dei ministri, id impropriè seminatio appellatur. Non enim novum aliquid illi spargunt, sed semel sparsum semen custodiunt, & ut illud hominibus manifestum fiat, procurant. Vnde constat, semen esse posse semper, etiam si non sint, qui illud ulteriùs spargant, & ita tantum seminis, non verò seminatariorum durationem ex hac parabolâ probari.

Porro cùm dico, argumentum Miedzibozii ex parabola petitum, infirmum esse & indignum Theologo, objicit mihi Borcovius, *Christum etiam ex sensu parabolico probasse a Iudeis ad gentes regnum Dei (non ecclesiam), ut loquitur Borcovius) transferendum esse.* At ego constanter affirmo, & omnium testimonium appello: Similitudines rem non demonstrare, sed tantum illustrare. Nec, Christum ipsâ parabolâ aliquid probasse, constat ex eo, quod assert Borcovius. Nam in loco citato, verba illa: *Propter hoc dico vobis: auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus, non jam similitudo ipsa sunt aut parabola, sed similitudinis explicatio.* Quæ jam non ad ipsam similitudinem pertinet, sed ex similitudine inferunt, & scopum parabolæ concernit. Similitudo autem ipsa incipit a v: 33. & durat usque ad v: 42. qui versiculus satis superque docet, jam finitam esse parabolam. Sic enim habet: *Dicit illis Iesus, Nunquam legis in scripturis. Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput angelis;*

Semen perpetuum  
durare potest  
absque perpetuis  
seminatoribus.

Similitudines nra  
hil probant.

Matth: 21. 43.

angeli: A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Quæ sanè cum parabola nihil habent commune, sed veritatem ejus, tacite quidem sed nervosè, demonstrant. Quâ demonstratâ, Christus addit hæc verba, propter hoc dico vobis: Quod auferetur a vobis, &c. Vnde quivis videre potest, hanc Christi prædictionem, non esse partem parabolæ, sed illationem ex isto parabolico sermone factam: Borcovium verò, quia, quod verè diceret, non habebat, audacter aliquid dicere maluisse, quâm veritati cedere. Id verò, quod Christus fecit, me etiam concessisse, satis apertè doceat mea verba, dum dico: *In parabolis non verba sed scopum esse attendendum, cuius causa parabola afferatur.* Sed porrò suo se jugulat gladio Borcovius, dum ipse met unâ mecum facetur, non omnia, quæ in parabolis dicuntur, ad eorum essentiam pertinere. Nam si hoc verum sit, parvum est constat, non ex omnibus, quæ in parabolis dicuntur, argumenta ad confirmandos fidei articulos peti posse, quod ego etiam usseram?

Ad essentiam autem parabolæ non pertinere, ea verba parabolæ, quibus duratio ecclesiæ a Miedzibozio probatur, cum probarem eo, quod Christus ea non explicarit, explicaturus procul dubio, si, ut alia, ita etiam hæc, ad aliquam doctrinam Christianæ religionis confirmandam pertinenter, respondet Borcovius, *hoc de semine perpetuo duraturo dici non posse, ut & res ipsa clamat & intentio Christi postulat.* Sed quia nec, quænam ista res sit, quæ id clamet; nec quæ Christi intentio, quæ illud postuleret, explicat Borcovius, tanquam nulla ejus assertio rejici ea omnino debent. Quod ita crebro committere Borcovium, non possum non mirari, cum probè sciat, sibi cum adversariis, qui rationibus tantum moveantur, rem esse, Quod verò ait, *Christum idèo non explicasse, quid sibi vellent verba, Sinite crescere utrumque ad messem,* quia Apostoli id facile ex interpretatione ipsius, quid esset semen, quid Zyzania, quid messis, colligere potuerint, id iterum ejusdem valoris est. Pro argumentatione scilicet, conjecturam nobis obtrudit, quæ quâm sit futile vel hinc appareat, quod, ex simplicibus & rudibus tunc temporis Apostolis, nimis sagaces rerum æstimatores facit Borcovius. Nemo autem est, qui non videat, tam esse difficultia intellectu ea verba, quæ Christus non explicavit, atque alia, quæ explicavit: immò tantò illis difficultiora, quantò magis spiritui legali, quo imbuti ed usque erant Apostoli, repugnant. Is enim eos, qui doctrinas pravas seminarent, interim jubebat: Christi verò minimè. Itaque ne in tam gravi errore hærerent Apostoli, omnino explicandum fuisset, quidnam sibi vellent ista verba, quorum explicatio omessa est, si ad propositum pertinissent: quia verò explicata non sunt,

Nuda Borcovii  
assertiones.

Sunt, ad propositum Christi non facere, certo iterum concludi potest.

Lapsus est etiam Borcovius, dum, quando dico, hac response  
ferè etiam uti eos, qui sentiunt, licere aliquem vi ad religionem adi-  
gere, adversus illos, qui id non licere, his verbis Christi demonstrare  
conantur, colligit, me Pontificios intelligere, & me scientem pruden-  
tem fallere, & nova fingere ac inepire nimis promptè ait. Nam diser-  
e non Evangelicos simpliciter, sed quosdam tantum ex Evangelici-  
cō bis nominavi. Non omnes enim Evangelici sentiunt, non licere  
vi ad religionem aliquem adigere: & deinde non Pontificios his op-  
posui, sed in genere tantum dixi, de iis, qui contrarium sentiunt, quod  
de Evangelicis reliquo, qui scilicet sentiunt, licere aliquem vi ad reli-  
gionem adigere, intelligi potest.

Non possum autem non digito monstrare, quām a vero alienus  
sit sensus, quem verbis Christi affingit Borcovius, nempe tunc esse  
relinquendos hæreticos seu zizania, cūm evelli non possunt, nisi cum  
detrimento tritici. Hic enim sensus tacitè sumit, licere aliquando e-  
os, qui diversum in religione sentiant, ob id ipsum non tantum per-  
sequi, sed etiam de vita tollere, quo vix aliquid Christi religioni ma-  
gis contrarium esse potest. *Nescius*, dicebat Christus discipulis ta-  
le quid cogitantibus, *cujus spiritus estis vos*. *Nam filius hominis non*  
*venit animas hominum perdere, sed servare*. Itaque sensus verus est,  
(si modo hinc aliquid colligi debet) nunquam esse eradicanda ziza-  
nia. Semper enim periculum est, ne unā cum illis triticum evellicatur.  
Quis enim scit, an illi, qui nunc sunt zizania, non futuri sint triticum  
aliquando, cūm nemo ita malus sit, qui non possit resipiscere, sub E-  
vangelio, ordinari loquendo? Iam, si talis interficiatur, antequam  
convertitur, nonne simul cum corpore anima etiam interimitur  
quo peccatum gravius sub Evangelio, quod omnibus resipiscientibus  
gratiam illam & vitam æternam perpetuò offert, nullum esse potest.

Indignatum porrò se esse confitetur Borcovius, cūm legeret,  
quod ego, si ex eo, quod semen debuit in agro crescere usque ad mes-  
sem, & quia semen hoc spargendum fuerit ab aliquo, debuerint etiam  
esse seminatores, qui illud spargerent, colligi possit, quod vult Miedzi-  
bozii, ecclesiam Romanam esse verā Christi ecclesiam, dico, hac ra-  
tione probari posse, zizania etiam, vel falsos doctores illa seminantes,  
esse veram Dei ecclesiam. Nā & zizania, ex quo sata sunt, semper du-  
rārunt & durabunt usq; ad messem, & quia ab aliquo spargenda sint,  
debuerunt etiam semper esse seminatores, qui illud spargerent. Sed  
frustra indignatus est. Conferat enim vim meā instantiæ cum vi ar-  
gumenti Miedzibozii, & tantum in illa, quantum in hoc roboris esse  
depre-

Lapsus Borcovii  
viii.

Nunquam licet  
ob religionem  
quoniam pet-  
sequi.  
Luc. p. 56.

**Universalem esse  
non est nota Ec-  
clesiae.**

deprehendet. Miedzibozius ait, notam ecclesiae esse, universale non est, vel perpetuò durare: Ego doceo, Universale esse, vel perpetuò durare, competere etiam alii rei præter ecclesiam, nempe falsis doctribus & falsæ ecclesiae. Hinc nonne ad oculum patet, falsam esse notam, quam fingit, ecclesiae Christi, cum notæ sit proprium, ut rei, cuius est nota, uni soli competit, alioquin nota illius non futura, quod Arcturus etiam Jesuita egregie adversus Sadaëlem ursit. Quod enim addit Borcovius, *præter durationem, ad ecclesiam Christi constituendam requiri, ut constet ex his, qui veram fidem Christi profiteantur,* id nec a Miedzibozio dictum fuerat, nec quicquam ad propositum facit. Nunc enim de notis ecclesiae sermo est. Nota autem ecclesiae id non est, nec esse vult Borcovius, quod hic, ad eam constituendam requiri, ait Borcovius. Imò si alibi, hic seipsum & infirmitatem argumenti Miedzibozii, prodidit Borcovius, dum scilicet tacitè deserit durationem urgere & non simpliciter eam notam ecclesiae esse ait, sed tunc demum, siad eam accedat aliquid aliud, nempe, ut constet illa ecclesia, cuius duratio ostentatur, ex his, qui veram Christi ecclesiam profitentur. Hinc enim manifestè constat, nullius futuram ponderis durationem absque salutari doctrina: Hac vero inventa nos habere, quod volumus, sive durârint semper, sive non, qui eam professi sunt.

**Duratio sola non  
est nota ecclesiae,  
ex mente etiam  
Borcovii.**

Quod vero ait, *non ita durare hæreticos, ut semper idem perseve-  
rent, sed alios alii succedere, cum diversis erroribus, cum tamen semen  
semper sit idem, nec variationem ullam patiatur,* id nihil Borcovii cau-  
sam juvat. Nam & veri doctores non semper idem perseverarunt,  
sed alii aliis successerunt: & doctrina ipsa ecclesiae non semper fuit e-  
adem, siquidem licet ecclesiae, ut ipsem et Borcovius afferit, fidelibus  
leges præscribere, quæ conscientias illorum obligent. Præterea mo-  
odus diversus durationis non potest tollere ipsam durationem. Durâ-  
rint igitur diverso modo seminarores zizaniorum, a seminarioribus  
seminis boni, durârint tamen & durabunt usq; ad messem, (ex mente  
Borcovii) & sic duratio ecclesiae, ex quo fundata est, nota non est ec-  
clesiae. Nam ex mea mente, non est necesse nec semen nec zizania du-  
rare usq; ad messem, vi horum verborum Christi, ut in defensione in-  
dicavi. Poterat enim fieri, ut nulla propemodum essent zizania, vel  
ut totus ager esset plenus zizaniis. unde constat, nihil illis verbis a Do-  
mino Iesu doceri, sed ea tantum, ad continuandam parabolam, inter-  
ferta esse, quod etiam in aliis parabolis plerumque evenire videmus.

Instantia porrò mea de Græca ecclesia firma stat. Nam si non mi-  
nus haec, quam alia ecclesia, quæ duratione gloriatur, durationem ha-  
beat,

beat, quomodo altera jure pro nota sui ipsius durationem vendicare poterit & terminos mutavit Borcovius, dum docet, Græcam ecclesiam non esse veram Christi ecclesiam. Non enim nunc queritur, an vera sit vel falsa ecclesia, sed an illi idem competit, quod sibi Romana vendicat. Quanquam argumenta, quibus damnat ecclesiam Græcam Miedzibozius, puerilia & futilia propterea sunt. Defecisse enim a Romana ecclesia, quod primum est argumentum, est, falsam Christi ecclesiam deseruisse. Negare autem, Spiritum sanctum procedere a filio, quod alterum est argumentum, est veritatem sequi, quam quia non intelligunt Lutherani & Calvinistæ, idè cum Pontificis erroris accusant Græcam ecclesiam, cuius tamen ipsius et rei sunt. Sed hic, antequam ad alia pergamus, hoc in mentem revocabendum est Borcovio, non tantum docendum illi fuisse, ecclesiam semper durasse, verum etiam istam durationem esse notam ecclesiarum. Nonne enim fieri posset, ut Ecclesia semper duraret, nec tamen ista duratio nota illius ulla esset? Quod quia nusquam facit Borcovius, viderit ipse metu, quibus fundamenta tota haec ipsius nitatur molitus.

Pergit Borcovius, & quod de duratione ecclesiarum dixeram, eam potius corruptæ ecclesiarum signum esse dici posse, pulcherrimum & ingeniosissimum, vel acutissimum, per ironiam, argumentum appellans, tandem etiam me atheismum sapere, satis audacter pronunciaet. Sed haec verba sunt, quæ breviter sic refello: Ingenium & acumen nullum glorior, contentus simplici veritatis sermone & probatione: Atheismum confessionis nostræ qualitas non permittit: illos sectatur, quorum religio magna secum conjuncta habet terrena commoda. Argumentum meum, & responsionem ad illud Borcovii, videamus. Verisimile esse dico, (non necessarium) non esse verum populum Christi, qui in uno loco per tot secula duret, cum Christi populus sit instar ovium inter lupos. Oves vero inter lupos diu vivere nequeant, nisi rerum naturam Deus mutet, quod quia rarissime & ad brevissimum tempus facere soleat, concludendum esse, populum illum Christi a pietate sua degenerasse, & alios deinde, vim vi repellendo, sibi subjecisse. Ad hoc sic respondet Borcovius: Potuisse Deum efficere, ut Ecclesia in persecutionibus non tantum non deficeret, sed etiam augeretur. Quia etiam de Israëlitis dicatur, Quanto opprimebant eos (sic habet Borcovius ex vulgata) tanto magis multiplicabantur. Ego vero tantum abest, ut negem, Borcovii, efficere posse Deum, ut ecclesia in persecutionibus crescat, ut id ita se habere ex animo credam: & nisi id de Deo persuasum haberem, huic, in quo nunc sum, coetui, protinus valedicerem. Nihil enim prius solam Dei providentiam haeseris-

Borcovius ter  
minos mutat.

Aliud est, eccl  
esiæ semper du  
rare: & semper  
durare, non ap  
peare eccl  
esiæ.

Borcovii strata  
gema & audac  
cia.

eum conservare, re ipsa experimur. Sed tamen hinc non sequitur, ecclesiam in uno loco per tot secula ita durare posse, ut alii sit superior. Hoc enim ego conjunctim dixerim. Vbi persecutio viget, ibi aevi resistendum est hostibus, si quis in uno loco manere velit, aut fugiendum. Illud, salva Christi religione, non licere, nobis persuasum est. Hoc si fiat, quomodo durabit in uno loco ecclesia, etiam si tandem infideles numero supererit? Pauci enim lupi semper magnum ovium gregem non reformidant, & minima hominum impiorum pars semper audebit maximam Christianorum multitudinem infestare; ob id ipsum scilicet, quia vindicta illi interdicta est. Porro an necessarium sit, ut semper crescat populus Christi, quando affligitur, tute considerat. Certè ipsa ratio & sacrae literæ testantur, fieri posse, ut per afflictiones populus Christi de leatur, saltē ad tempus. Nec quicquam hoc facit exemplum Israelitarū. Longè enim alia fuit ratio populi divini sub veteri Fædere, quam nūc est sub novo. Illis parata erat civitas manens, in qua regnare, & hostibus suis insultare debebat; imò hæc erat benedictio Dei futura, si præceptis illius obtemperarent. At populus Christi, quatenus est Christi populus, quia promissum habet regnum æternum, nullam hīc habet civitatis manentis promissionem. Itaque fieri potest, ut interdum etiam opprimatur prorsus, & deinde iterum, Deo sic volente, quasi renascatur.

Denique (ut alia multa, hominibus Christi spiritu non regeneratis parum accepta, omittam) ad hanc rem rectius intelligendam, hoc unicum tibi propono considerandum, Quænam causa sit, quod per aliquot secula post Christi ascensionem nullum Regem Christianum fuisse legimus, durante incorrupto Christi populo & ejus religione?

Absoluto hoc argumento Miedzibozii primo, aliud etiam illius urget ex loco Ephes: 4. de quo aliquid dictum est in cap: 3. Nunc iterum dico, verba Pauli nullam durationem pastorum in ecclesia arguere. Nam alioquin etiam durationem Apostolorum & Prophetarum arguerent, quos tanten nullos hodie re ipsa esse & res ipsa & ratio testatur. Nam qui Apostoli & Prophetæ sunt, ii sunt fundamentum ecclesiæ. Fundamentum autem ecclesiæ esse, & multis post jaeta fundamenta ecclesiæ, seculis existere, contraria sunt. Deinde, ut antea diximus, repugnat hoc naturæ religionis. Nam si necessariò pastores dati sint in omnia futura secula, necessariò etiam esse debuerunt fideles, quorum essent pastores. At necessariò fideles futuros, falsum est. Nemo enim est, qui non possit deficere & perire. Mens autem Pauli in his verbis est, docere, in quem finem dati sint Apostoli, Prophetæ,

Evange-

**Persecutio & du-  
ratio in uno loco  
non convenient.**

**Allia ratio popu-  
li Israëlitici, alias  
Christiani.**

**De loco Eph: 4.**

**Apostoli hodie  
nulli sunt.**

**Natura religio-  
nis quænam sit.**

Evangelistæ & pastores, ut scilicet Christi populum, tunc recentem, ad perfectionem justam adducant: qui etiam finis hodie durat in pastoribus, ut, ubiunque sunt, & ecclesia est, id sibi propositum habent.

Hanc explicationem meam, commentum meum appellat Borcovius, quia dictum sit, donec omnes occurramus in unitatem fidei, &c. hæc verò verba, omne tempus usque ad finem mundi complecti, quia scilicet tunc apparitura sit unitas illa fidei, & periculum cessaturum, cuius causa instituti sunt pastores, nempe seductio fidelium. Hanc responsionem ego Borcovii, cùm aliter appellare possem, conjecturam frigidam, & probationem ejus infirmam esse dico. Non ad omne tempus verba Apostoli referenda esse necessariò, ipsa pér se evincunt. Ait enim, et omnes occurramus, &c. nempe qui nunc sumus. Omne verò tempus significari, verba, ad unitatem fidei, arguere nequeunt. Cùm nihil sit, unde vel probabilitè colligi possit, tunc hoc est, sub finem mundi, futuram unitatem fidei. Nam si id ita futurum esset, nullus iudicio Christi de impiis futuro locus esset, quem tamen futurum sacra testantur literæ. Ita ut verba Apostoli, non, quid necessariò futurum sit, sed quid fieri potuerit, si hominum accessisset voluntas, indicent.

Commentum etiam meum & figmentū appellat, quod dixeram, Apostolum ibi docere, non quod sint perpetuò duraturi pastores, sed quod eorum munus sit, ubiunque sint, & causam assert talem, quod Apostolus absolute loquatur, nec ullius conditionis mentionem faciat. Quæ responsio nullius est ponderis. Quasi scilicet novum sit, ea, quæ dicuntur absolute, accipi certo respectu. Quanquam hæc nullius etiam conditionis a me facta est mentio, sed tantum, quid Apostoli verba suadeant, ex illis ipsis collectum est. Dicit Apostolus, datos esse pastores ad instaurationem sanctorum, in ædificationem corporis, donec omnes occurramus in unitatem fidei. Quis hæc non vider, describi finem, cur dati sint illi viri divini, & proinde quod sit illorum munus, ut ipsam veritatem repudiare, qui hunc sensum repudier, videatur. Non continerit autem durationem pastorum in illis verbis, quia ipso ecclesiæ Ephesinæ & pastorum ejus exemplo docueram, quæ scilicet perierunt omnia, ad id responder, more Pontificiorum, Borcovius, de particulari ecclesia id verum esse: at de universalis ecclesia concedere se nec posse nec debere. At hoc ego in defensione mea objectari a Pontificiis dixeram, & refutaram. Curigitur id ita impotens regerit Borcovius? Dico nunc iterum: Si omnes ecclesiæ particulares perire possunt, potest etiam perire ecclesia universalis. Nam

Non necesse est,  
sub finem mundi  
futuram unita-  
tem fidei.

Omnis Ecclesia  
potest perire.

sublatis omnibus partibus vel speciebus, totum etiam vel genus tolli necesse est. Et quicquid de universalis ecclesia dicere solent Pontificii, putida ipsorum fabula est, quam haec tenus eo tueruntur, quod rem potiri videantur.

Quod ad Græcam ecclesiam attinet, quæ etiam Doctores ab initio habeat usque ad hæc tempora, unde constat, durationem pastorum, non efficere notam ecclesiæ veræ, ait Borcovius, se supra de ea dixisse. Ergo & ego lectorum illuc remitto.

Ad id denique, quod dixeram, nihil prodelire, quod Pastores in ecclesia Romana durârint, si nomina tantum Pastorum habeant, veritatem autem & fidem deseruerint, respondebit, id falsum esse, nec me contrarium probare aut probare unquam posse. Sed quid aliud est tota hæc nostra disputatio, & alia omnes, quam demonstratio ejus, quod Pastores ecclesiæ Romanae tantum nominetenus tales sint? Quod si nondum videt Borcovius, dolendum sanè est: interim tamen verum esse non desinet. Nam & ii, quibuscum ipse, Christus, cum in terris degeret, colloquia habebat, raro intelligebant, Christum vera dicere: & tamen, verissima eum dixisse, omnes credimus. Fascat scilicet homines antiquitas erroris: de terret eos metus jacturæ jam gloria, jam commodorum, jam voluptatum hujus seculi, si, quod verum esse demonstratur, pro vero recipient, quemadmodum etiam multi ex Pharisæis in Christum credebant, nec tamen eum confitebantur, quia metuebant, ne ex Synagoga ejicierentur; & alii in Christum credere non poterant, teste Christo, quia gloriam alii ab aliis accipiebant, gloriam verò, quæ a Deo est, non curabant. Sed quia de hoc infra se dictum pollicetur Borcovius, cùd etiam responsione ampliore reservamus.

Excusare etiam studet Miedzibozium, quem ego sermonis intricati & obscuri accusaram, eo quod dixerat, defecisse in ecclesia Lutheri, Calyini & Anabaptistarum, fideles scilicet & pastores, & eos deinceps post Lutherum omnes exortos esse. Excusat autem hoc modo, quod Miedzibozius loquatnr ex Lurtheranorum & Calvinistarum & Anabaptistarum sententia, qui dicunt, Ecclesiam suam olim fuisse, deinde verò defecisse oppressam a Papa. Sed hæc sententia non est omnium illorum, quos nominat Miedzibozius. Sentiunt enim quidam illorum, ecclesiam suam semper durasse, quatenus credunt, semper fuisse, qui id, quod ipsi hodie confitentur, confessi sint, licet vel pauci, vel etiam obscuri fuerint. Quomodo igitur ex sententia illorum dicere Miedzibozius potuit, fideles & pastores ipsorum defecisse?

*Cur veritas non  
semper recipia-  
tur.*

*Ioh:12. 42.  
& 5. 44.*

*studium Borco-  
vii defendendi  
Miedzibozium  
ganum.*

Verba autem illa, Nam hi demum post Lutherum omnes exorti sunt, clara esse, non nisi studium defendendi Miedzibozium, scribere jussit Borcovium. Vocem hi referri debere ad fideles & pastores, qui post Lutherum exorti sunt, Borcovius quidem nos docet, & ego tune suspicabar: sed an id sint intellecturi omnes, qui ista verba legerint, iterum considereret, qui volet. Ego quidem intricatum sermonem esse & obscurum, quod solum objeceram, haec tenus persuasus sum; nec a litteris ipse Borcovius sentire potest, qui, ex sententia aliorum, Miedzibozium id loquentem facit, cuius nullum in ejus scripto extat testimonium, quod si obscuritatem vitare voluisset, indicare omnino debuisse.

Sed nunc mecum expostulat graviter Borcovius, & sycophantam me esse afferit, quod Miedzibozium, qui dixerat, nobis, nisi ecclesiam audierimus, in praeceps eundum esse, ut in multis videre est, qui a fide exciderunt, & circa eam naufragaverunt, ut loquitur Apostolus, & ad marginem adscripsit locos ex I. Tim: duos, errasse & peccasse dixerim, & ut resipiscat, optarim. Excusat autem Miedzibozium hoc modo: Quod non dixerit, Verba illa Pauli de Ecclesia esse accipienda, sed quod tantum alluserit ad verba Apostoli, & quod Paulus dicit de quibusdam sui seculi hominibus, qui à fide discedentes in hæresin lapsi sunt, hoc idem afferre Miedzibozium de his, qui relicta face, quam illis preferat Ecclesia, in variis errores prolabuntur. Ad hæc sic habeat Borcovius. Primum non sine morbo animi me sycophantam appellat, potuit enim hoc ex errore, cui omnes sumus obnoxii, proficisci, præsertim si constet, me sapissimè occasionem habuisse exagitandi Miedzibozium, nec tamen eum exagitassem. quod an verum sit, judicet, qui est extra præjudicium, lector, ex defensione mea. Deinde nonne ad istam cogitationem occasionem mihi præbuere verba Miedzibozii? Is enim probaturus, ecclesiam prius cognosci debere, quam scripturam, hanc etiam rationem affert, Alioquin, nisi ecclesiam audierimus, nobis eundum est in praeceps, ut in multis videre est, qui à fide exciderunt & circa eam naufragaverunt. Certè nisi his verbis ratio contingatur, quare alii a fide exciderint, & circa eam naufragaverint; & ratio similis ei, quare nobis etiam metuendum sit, ne in praeceps ruanus, nihil dixit Miedzibozius. Quod etiam sentiens Borcovius, ait, istos, qui scilicet tempore Apostolorum vixerunt, si vocem Ecclesias audire voluissent, non eò infelicitatis per venturos fuisse, ut ex fidelibus fierent infideles. Iam si unà cum Borcovio dicere id voluit Miedzibozius, utrumque equidem graviter errare iterum dico. Nam nec ulla ratio docet, nec logica Miedzibozio allata comprobant, cum non aberaturum

Iniqua Borcovii  
censura.

taturum a fide, qui ecclesia vocem audiat, nisi probetur, ipsam ecclesiam errare vel etiam cessare non posse, quod hactenus probatum esse nondum vidimus. Præterea ista locorum ad marginem ascriptio cogitationem hanc augebat. Quis enim ob phrases solas, quibus ad propositum suum utitur, Apostolicas loca unquam allegat? Cautius igitur saltem loquendum fuisset Miedzibozio, si occasionem sese reprehendendi dare noluisset.

Fraudem verò, quam mihi objicit Borcovius, in eo nullam video, quod dum locum 1. Tim:6. absque versiculo allegaverat Miedzibozius, & bis eadem res in illo cap: habetur, ego priorem adduxi, non posteriorem; nec ulla ratione tenebar divinare, utrum locum allegasset Miedzibozius: sed ipsius erat, una cum capite versiculum ascribere. Quod verò me ex phrasē, exciderunt à fide, illud divinare debuisse urget Borcovius, illud facile excusari potest, si cogitet Borcovius, me fortasse tunc non vulgataim, quam vocant, inspexisse, sed vel textum Græcum, vel alium interpretem. Nam nec textus Græcus istam versionem admittit: nec eam sequuntur præcipui interpretes, adeoque eam quidam ex ipsis Pontificiis. Si tamen hoc toto non acquiescit Borcovius, lapsi potius hoc meo ascribere deberet, quam ulli fisco aut sycophantia. Nihil enim magis odio habeo, quam hominem a candore alienum.

Sed video in quid tandem desinat hæc expostulatio. Ait enim, *hoc esse proprium sectæ nostræ, simulare modestiam, & interim nec vivis nec mortuis parcere, Papam nobis esse Antichristum, Patres, antiquos deceptores, reliquos omnes, idolatras.* Respondeo, magnam nobis injuriam a Borcovio inferri. Omni enim conatu annitionis, ut eum, quem debemus, omnibus honorem & reverentiam exhibeamus. Ad probationes verò tanti criminis, hæc allatas hæc pauca nunc habeat Borcovius. Non inficiamus, has criminationes arduas esse: sed si veræ sint, non immodestia ulla ratione is accusandus est, qui illas objicit, sed Veritatis hanc esse naturam, cogitandum est, quod odium pariat. Papam Romanum, esse eum, qui in templo Dei sedeat, ut Deum se jactet, & supra omne, quod Deus nominatur, aut cui divinus honor debetur, extollat, quis inficiabitur, nisi a Deo exercatus? Hæc verò, teste Paulo, Antichristi descriptio est. Patres antiquos (non omnes quidem, sed tamen non paucos) errorum gravissimorum fuisse & inventores & acerrimos defensores (nusquam enim voce Deceptorum utimur) nonné magna pars Europæ clamat & demonstrat firmissime? Eos denique, qui, cùm Deum nō sint & Iesum Christum, divinum tamen honorem tribuunt iam imaginibus &

bus & reliquiis sanctorum, jam ipsis sanctis, maximè vero virginis Maria, & hostiā sacramentalem in corpus Christi, adeoq; in ipsum Deum converti credunt, eamque adorant, Idololatras esse, quomodo negari potest? si Israëlitæ, qui, cùm Deum esse noscent, ob id solum, quod, ut scriptura loquitur, circa illum vitulum, ex auro conflatum & deinde erectum, comedenter biberent, & deinde ad saltandum surgeant, pro idolatria damnati sunt? Nos sanè, dum ista objicimus, nullâ petulantia & convitiandi alios libidine, quod nobis objicit Borcovius, ducimur, qua in re Deum testem invocamus: sed solâ conscientiâ & amore divinæ gloriæ & veritatis, addo etiam, proximorum nostrorum, incensi, ista non tam sponte proferimus, quam proferre quodammodo cogimur.

Quo fine Pontificis quedam illis molesta, a nobis objiciantur.

### REFUTATIO CAPITIS V. cuius titulus est:

*Ex notis certò & evidenter cognosci posse Ecclesiam.*

**A**ntequam Miedzibozium defendit Borcovius, præfatur, *Socinum*, non solum negare, dari Ecclesiæ notas; sed etiam si darentur, velle eum, inefficaces esse, ad ostendendam certò & infallibiliter Christi Ecclesiæ: quippe quam ex sola salutari doctrina cognosci velit. Vbi primum, quæ certo quodam respectu sunt dicta, simpliciter sumit. Deinde dicti Socini rationem eam affert, quam is ne loquiauit quidem. Cujus quoque rei Miedzibozium admonui, pag: 98. sic scribens: *Vbi iterum aliud tacite affingit respondens Anonymo, vel nimis astute, vel parum sciē, nempe eum statuere, Ecclesiam ex eo esse cognoscendam, quod essentiā ejus constituat, vel, ut ipsius verbis utar, ad essentiam esse configendum, cùm queritur & indagatur, ubi & apud quos sit Ecclesia?* Paginâ autem 99. addidi, Taniūm enim abest, ut Anonymus id affirmet, ut potius in hoc scripto aperte contendat, cognitionem Ecclesiæ, ubi & apud quos sit, esse vel supervacaneam, vel solum non necessariam. Nec est, quod urgeat verba Socini, cùm ait, *Non autem ex eo, an habeat, profiteturque Christi doctrinam salutarem, quasi mens eorum sit, ex doctrina salutari, ecclesiam esse cognoscendam.* Haud enim est cogitandum, adeo rudem fuisse Socinum, ut statueret, rem dubiam & obscuram posse cognosci, ex re, non minùs obscura & dubia. Nam, quod attinet hanc disputationem, non solum quæc dubium est, quænam sit salutaris Christi doctrina, ac, quænam ecclesia: verùm etiam hoc illud ipsum est, quod queritur. Itaque verba Socini, ad solam ratione nationis consequentiam explicandam, trahenda sunt, nec amplius.

Voluit enim, absque omni dubio, Socinus ostendere, cur, quia ridiculum est, si quis, cum dubitaretur, an quoddam individuum, sit necesse homo, ex externis quibusdam, quantumvis homini propriis, id hominem esse demonstrare vellet, & interim adversario ostendenti, non esse id ratione & mente praeditum, respondere negligenter; ridiculum quoque sit, cum Pontificii volunt, ex ecclesiæ notis demonstrare, apud se ecclesiam esse, & interim respondere nobis negligunt, qui in promptu habemus ostendere, apud ipsos Christi doctrinam salutarem non esse. Pari enim utriusq; ratione existente, necesse est, ut, quod in uno valet, valeat quoque & in altero.

*Quatenus ecclæ  
sam ex salutari  
doctrina cognoscendam esse,  
dici possit.*

Sed præterea tenendum est, non omnino absurdè dici, ecclesiæ ex salutari doctrina, non solum posse cognosci, sed etiam cognoscendam esse. Namque, nulla alia est ratio, ad exactam ecclesiæ cognitionem pervenienti, juxta illud dictum: tunc rem cognosci, cum ejus causa cognoscitur. Quod tamen ita accipendum est, si de salutari doctrina inter nos prius conveniat. Alioquin si de ea dubitetur, & illa ipsa tunc queratur, cum de ecclesia, quænam & apud quos sit, controversatur, non solum ex salutari doctrina ecclesia cognosci non poterit, sed etiam principium petetur.

Sed jam videndum est, quid ad Miedzibozium defendendum, adferat. Dixerat Miedzibozius, Socinum statuere, ridiculum esse, rem ex signis propriis cognoscere. Ad hoc responderam, Socinum nusquam negalisse, rem ex signis propriis posse cognosci, tanto vero minùs dixisse, id esse ridiculum. Hic tu scribis, *Miedzibozium in hanc fere sententiam respondiße, falsum esse, non posse cognosci aliquid ex his, quæ ad essentiam illius constituendam pertinent.* Quæ tua verba, primum præferunt, quasi Miedzibozio a nobis aliud affingatur, quam ille dicere voluerit: deinde rem esse notissimam, & inter nos minimè controversam, Socinum affirmalisse, non posse cognosci aliquid ex his, quæ ad illius essentiam constituendam non pertinent: ut hoc potius falsum esse, dicere Miedzibozium ostenderes, quam Socinum velle, ridiculum esse, ex notis seu signis propriis non posse quicquam cognosci. calumniam calumniâ longe graviori accumulans. Quantò enim ea, quæ, ad essentiam constituendam, non pertinent, latius patent, quam proprietates: tantò calumniosius est dicere, quempiam statuere, quidpiam non posse cognosci ex his, quæ ad essentiam illius constituendam non pertinent, quam ridiculum esse, ex signis seu notis propriis, non posse quicquam cognosci. Atque ex his, arbitror, te intelligere, in hac disputatione ostendendum tibi fuisse, Socinum affirmasse, ridiculum esse, ex signis seu notis propriis, quidpiam posse cognoscere.

cognosci: ac proinde Miedzibozium minimè falsa dixisse, nec Socino quicquam, quod in ejus verbis non haberetur, affinxisse: injuriâque sine de Miedzibozio conquestum fuisse. Quod cùm non fecisti, non est, cur tecum de vi rationis tuae disputem, quâ evincere conaris, ex proprietatibus quidpiam cognosci posse.

Pergis, cùm autem Socinus dicit, ridiculum eſe, demonstrare aliquod individuum eſe hominem ex accidentibus ejus, quantumvis homini propriis, & interim non respondere adversario clamanti, non eſe illud individuum ratione, & mente præditum, atque idcirco non eſe hominem, cùm, inquam, hoc dicit, ipſe valde ridiculus eſt. nam quomodo talis adversarius potest clamare, individuum illud non eſe mente & ratione præditum, si concessit, ut ſupponitur, individuum illud ridere, admirari, ratiocinari, aliasque hominis proprias actiones exercere? Certe iſta necessariò connexa ſunt cum rationali natura, ita, ut, qui hæc habeat, necessariò ſit mente & ratione præditus. Hocne eſt, Miedzibozium defendere, & non potius aduersus Socinum disputare? Præterea, unde colligis, eum, qui, cùm queritur, An quodpiam individuum ſit homo, negat id eſſe hominem, eò, quod mente & ratione non ſit præditum, fateri & concedere, illud individuum ridere, ratiocinari, admirari, ut inde concludas, aduersarium non poſſe clamare, individuum illud non eſſe ratione & mente præditum? Num quia Socinus dixit, ridiculum eſe, demonstrare, aliquod individuum eſſe hominem, ex accidentibus ejus, quantumvis homini propriis, & interim non respondere aduersario ostendenti, non eſſe illud individuum ratione, & mente præditum? Atqui non eſt neceſſe, ut is, qui ad hunc modum loquitur, fingat aduersarium concedentem, illud individuum, de quo dubitatur, utrum ſit homo, ridere, admirari, ratiocinari, aliasq; hominis proprias actiones exercere: ſed ſatis eſt, ea, quæ adferuntur, propria eſſe hominis, non negare. Non continuo autem ſequitur, ſi quispiam, quod ſit hominis proprium, profertur, illud illi individuo, de quo dubitatur, in eſſe. Animadverbendum eſt, Socinum, duos actores, circa unam & eandem quæſitionem addubitant, conferre, quorum uterque rationes afferat: aliam pro affirmante, a proprietatibus petitam, aliam pro negante, ab iis, quæ rem constituunt. Quamobrem queritur, uter eorum alteri cedere debeat. id eſt, cuius ratio potius attendenda. Ipsiſa enim ratio docet, potiorum ſemp̄. primam habendam eſſe rationem. Atqui potiora ea ſunt, quæ ſunt de eſſentia rei, quām quæ rem, licet necessariò, comitantur. Tantum igitur abeat, ut Socinus ſit ridiculus, ut omnino illud ipsum, de quo agimus, reat a Socino, ridiculum eſſe dictum ſit. Neque ſcio, an quicquam

Falsa affingit  
Socino Borem  
Gine,

Quæ mens Socini  
fuerit.

Ineptius dici potuerit, quām cūm siq̄gitur, eum, qui essentiam constituentia negat, admittere proprietates. Num potest fieri, ut essentia libus sublatis, non auferantur, quæcunque rei essentiam consequuntur? Cur quispiam adeo rudis introducitur?

Dicti Socini attuleram rationem, quæ fuit, proprietates rem sequi, non constituere: ideoque non iuvare, rei proprietates proferre, & interim ad ea non respondere, quibus probatur, ei rei, definitionem non competere, quam esse, ex signis probatur. Vbi tu ita respondes: *Iuvare proferre proprietates, cūm illis positis, necessariō essentia rei, & definitio, quæ hanc essentiam explicat, poni debet.* Respondeo ita te verba mea sumere, ac si simpliciter loquar, nec certo quodam respectu. Verba mea sunt clarissima. Non dico, proprietates nihil iuvare proferre, sed, si interim non respondeatur ad ea, quibus probatur, rei non competere definitionem. Causam explicavi, quod proprietates rem sequantur, non constituant, innuens ea, quæ rem constituunt, iis, quæ rem sequuntur, potiora esse, ac idcirco in probando majorem vim habere. Inquis, satis vos respondere, cūm signa & notas proferitis, ex quibus necessariō res & definitio illius inferri debet. Quæ tua ratio si valet, contrā inferant, ex eo, quod ostendimus, rem, de qua queritur, carere iis, quæ essentiā constituunt, evidenter sequi, nulla vos signa & notas proferre. Nam non minus, sublatis essentiam constituentibus, auferuntur rei proprietates, quām proprietatibus positis, essentiam constituentia ponuntur. Falso igitur gloriaris, respondere vos ad ea, quibus probatur, definitionem ei rei non competere, quam ex signis probare vultis. Vbi iterum illud animadvertisendum est, te, cūm inquis, vos signa & notas proferre, ex quibus necessariō res, & definitio illius inferri debet, ita verba tua sumere proculdubio, ac si nihil dubitetur ab adversario, utrum illæ notæ & proprietates, individuo, de quo queritur, competant; quin adversarium concedere, ei compete-re. Sed nimis rude in adversarium fingis, idque pro concessu sumis, si ne quo tua ratiocinatio constare non potest, non animadvertis, adversarium, quamdiu negat essentiam constituentia, negare & proprietates, seu notas proprias. Non est igitur, quod triumphans insultes nobis, quasi uno concessu, nolimus concedere aliud, cum quo illud necessariō sit connexum.

Ia. La quædam, a me, inter respondendum, allata, aggredieris. Ex timi numero est, cūm dico, Mirari me sat is non posse, cur Miedzibodus dicat, ex eo, quod individuum sit mente p̄reditum, non cognosci, illud esse hominem, cognosci tamen ex eo, quod rideat, admiretur, quasi querenti non & quæ dubia sint ista, ac illud, sine hoc individuum homo. Qui dabat,

Borealis sensum verborum immutat.

dubitat, aliquod individuum esse hominem, dubitat etiam illud ridere, admirari, praesertim si sciat homini proprias esse has operationes. Haec tenus ego. Tu contra: kudem me esse, & nihil intelligere, apud eos, qui aliquid didicerunt, non a quæ dubia ista esse. Scire eos, actiones hominis proprias, quales sunt ridere, admirari, & similes, notiores esse nobis, ut poterit, quæ in sensu etiam incurvant, a quibus omnis nostra incipit cognitio. Antequam hanc tuam responsonem inutilem esse ostendam, qua de re hoc loco agatur, dicendum mihi est. Affiravit Miedzibozius, tuncque Borcovi unà cum eo sentis, cùm queritur, utrum hoc individuum sit homo, non posse, illud esse hominem, ostendi ex eo, quod mente & ratione sit præditum. causa quod, cùm queritur, utrum sit homo, hoc ipsum queratur, utrum mente & ratione sit præditum. Verum cùm idem Miedzibozius non dubitaret pronunciare, hoc individuum esse hominem, posse ostendi ex eo, quod rideat, admiretur, ratiocinetur, ac alias hominis proprias actiones exerceat, dixi, satis me non potuisse mirari, cur Miedzibozius dicat, ex eo, quod individuum sit mente præditum, non cognosci, illud esse hominem, cognosci tamen ex eo, quod rideat, &c. cùm querenti, utrumque a quæ dubium sit, ac illud, utrum hoc individuum homo. Hoc est illud, de quo jam disputandum est. Itaque dispiciamus, cujus momenti sint, quæ nobis opponis: quorumque nomine me ruedem, & nihil intelligentem vocas. Cùm inquis, eos, qui aliquid didicerunt, scire, actiones hominis proprias esse nobis notiores, videris, alium verbis meis sensu tribueré, quam quem ego illis exprimere volui. Putas me dixisse, actiones hominis proprias, a quæ nobis esse ignotas, ac mentem seu rationem ejus. Qui sensus alienissimus est a mente mea. Nusquam id dixi, nec ut dicere habui necesse. Rationem Miedzibozii, quâ evincere voluit, ex eo, quod mente sit præditum individuum, illud, esse hominem, non posse ostendi, quod, cùm dubitatur, an sit homo, dubitetur hoc ipsum, an sit mente præditum, repellere volui. Visus autem mihi sum optimam ejus rei occasionem naectum esse, ex ejusdem Miedzibozii verbis, dicentis, hoc individuum esse hominem, posse ostendi ex eo, quod rideat, admiretur, ratiocinetur, & alias hominis proprias actiones exerceat. Nam si verum est, eum, qui dubitat de aliquo individuo, utrum sit homo, dubitare simul necessariò, utrum sit mente & ratione præditum, non video, quomodo etiam necessariò non dubitet, utrum rideat, admiretur, ratiocinetur? Ut quisque videtur esse pars ratio, tam, inquam, ejus, quod hominem constituit, quam ejus, quod eum necessariò sequitur. Si enim rei ipsius, & non intentionis querentis, rationem habemus, querens, utrum indi-

Controversie invagatio,

viduum hoc, sit homo, non videtur aliud querere, quam utrum rideat, admiretur, ratiocinetur, & quicquid necessarium hominem consequitur. Mens igitur verborum meorum est, cum dubitatur, utrum hoc individuum sit homo, non minus dubitari, utrum illud individuum ratiocinetur, admiretur? &c. quam, utrum mente & ratione sit praeditum? utrumque necessarium est homini. Quod si non est necessare, cum queritur, an sit homo, querere, an rideat, ratiocinetur, &c. equidem non video, cur necessare sit, querere, utrum mente & ratione sit praeditum. Ex his, Borcovi, cognoscere potes, me non adeo rudem esse, ut non intelligam, quae loquor. Sophistam, Borcovi, agis, verba que mea aliter, quam ego ea scripsi, recitas: atque sic me traducis apud eos, qui scriptum meum non viderunt, aut cum tua responsionem non conferunt. Verba enim mea citans illa, *Quasi querenti non æquæ dubia sint ista, ac illud, reliqua, quæ sequuntur, prætermittis, sine quibus ægræ, quæ recitas, intelligi possunt. Etenim post verba, ac illud, addo, sitne hoc individuum homo?* Vbi illud, non ad superiora, sed ad sequentia referri, perspicuum est. At tu ad superiora refers, & rationem cum ratione confers, quod a mente mea alienum est. Æquæ dubium esse dico, an individuum, de quo queritur, rideat, &c. ac, an sit homo? Hoc autem statim ibidem explicavi, dicens, *Qui dubitat, eſe aliquod individuum hominem, dubitat etiam, illud ridere, admirari: ubi insuper addidi, præsertim, si sciat hominis proprias eſe has operationes.* Quibus verbis significare volui, eum, qui concessurus sit, hoc individuum eſe hominem, ex eo, quod rideat, ratiocinetur, &c. apprimè nosse, ridere, & ratiocinari proprium eſe hominis. Vnde verisimile eſe, ut, qui querit, an sit homo, simul ea querat, quæ homini necessaria sunt. Rudis ego sim Borcovi: at ne tu quidem, tuusque Miedzibozius, subtilestis. Affirmat Miedzibozius, tuque unâ cum eo, hoc individuum eſe hominem, non posse ostendi ex eo, quod mente sit praeditum, sed ex eo, quod ratiocinetur, &c. Etenim, inquisitis, cum queritur, utrum sit homo, hoc ipsum queri, utrum sit mente praeditum. At si ita est, Borcovi, fatemini, cum, qui querit, utrum sit mente praeditum, concedere illud idem ratiocinari. Verum ista ita pugnant, ut, nisi fatuum quempiam querentem statuatis, simul consistere nequeant. Quis enim adeo eſt rudis, qui velit concedere, quodpiam individuum ratiocinari, de quo dubitet, utrum sit mente praeditum? Qui cunque eſt, qui iniciatur, quidpiam eſe mente praeditum, ille neget necesse eſt, idem ratiocinari. Sed in his plus satis philosophati sumus. Persequamur cetera tua verba.

Nec dum tamen, inquis, quiescis Theophile, Ais, exemplum de auro nullius esse mometi. Nam hoc alias habere notas, & proprietates, Ecclesiam nullas. Sed hoc falsum esse, & ego breviter probavi, & nostri integris libris ostenderunt. Et sane ratio ipsa hoc indicat. Nam sicut unaqueq; res habet suā certam eſſentiā, a qua illius manant proprietates, & in cognitionem illius deducunt: nisi foriē tu putas, Ecclesiam in rerum numero collocandam omnino non esse, quod nescio quomodo dici posſit, cū inter rem & nihil medium dari nequeat. Ut ostendas, ecclesiæ dari proprietates, primū te tuosque id probasse ais: deinde quandam rationem affers. Quod attinet prius, dico, vos omnes, qui haec tenus notas ecclesiæ affteritis, non illud ostendere velle, esse ecclesiæ notas, sed has aut illas esse notas. Quas duas quæſtiones esse diversas nemo est, qui non probè intelligat. Alia enim, quæritan ſint: alia, quæ illæ ſint? Quanquam fateor, si ostendatur, quæ illæ ſint, ſimul ostendi, eſſe. Per accidens tamen id fit: & admodum præpostera est ejusmodi disputatio. Mirum tamen non eſt, quæſtione, an ſint, a vobis prætermiſſam eſſe. Si enim omnes, quibus cum vobis haec tenus res fuit, id inficiari non ausi ſunt. Vnde etiam factum eſt, ut multis tricis & diſcultatibus leſe implicant, non habentes, in quo conſtituerent haſce ecclesiæ notas: nec minùs vos ipſi, adverſariis vestrī oſtentibus, notas, quas eis obtruditis, minimè eſſe notas. Scilicet egri-gia illæ ſunt nota, de quibus diſputatur, ſint nec né nota? Notarum ea eſt natura, ut de iis nihil dubitetur, ſed tam eruditis, quām ineruditis eæ pateant, &, ut quidam vestrī addunt, in ſenſu omnium incur-rant. Itaque non ſine contradictionis implicatione de illis notis diſputatur. Notæ enim non ſunt nota, quam diu, quæ illæ ſint, diſputa-tur. Sed ad rationem tuam excutiendam veniamus.

Antequam autem quicquam de vi ejus dicam, illud h̄ic silentio involvendum non eſt, ſuperiori adverſus Miedzibozium diſputatio-ne, promiſcū usurpatum eſſe nomen proprietatum, & notarum, adverſario alterum in alterius locum ſubſtituente. Quod te quoque facere facile animadverteret, quisquis legerit tuam diſputationem. Iam igitur, cū tu proprietates, hoc loco diſtincte a notis accipis, quid aliud agis, quām extra oleas vagaris? Patet verò, me de proprietatibus locutum eſſe, quatenus ſunt nota, ex iis ipſis verbis, quæ tu tibi reſu-tanda ſumpliſti. Sic enim pagina 102. meæ diſputationis dico: *Itaque exempla, quæ affert de auro, nullius plane ſunt valoris.* Hic enim conce-ditur, eſſe aliquas auri proprietates, de quibus nemo dubitat eas auri eſſe proprias, quod in queſtione de Ecclesia non fit. Ibi enim negatur ta-les nota eſſe. Ex quibus verbis planum perſpicuumque eſt, me non ſimpliſciter

Pontificii haec-nus non docue-runt, An ſint nota-ecclesiæ.

De nota diſpu-tare, an ſint, con-tra naturam no-tarum eſt.

Proprietates & nota promiſcū accep-ta.

simpliciter & distinctè a notis proprietates intelligere, sed eas proprietates, de quibus nemo dubitat, quod notarum proprium est. Hac de causa factum est, cur, cùm dico, *ibi enim negatur, tales notas esse,* notarum voce usus sim, alterum pro altero usurpans, secutus hac in re Miedzibozium, duo hæc confundentem. Et tu, recitans mea verba, proprietates & notas conjungis. Quod cùm ita est, qui sit, ut de proprietatibus in tua ratione loquaris, quæ sunt distinctæ a notis? Quòd si dicas, id quod tamen valde dubito, de proprietatibus te loqui, quæ sunt notæ, equidem non video, cur necesse sit, unamquamque rem certas notas habere, de notis propriè loquendo. Alioqui ex natura notarum sequeretur, nihil esse quod a quopiam ignorari possit. Sed jam rationem tuam expendamus. Ais, *ut una quæque res habet suam certam essentiam, à qua illius manant proprietates & in cognitionem illius deducunt: ita, Ecclesiam, existente ea recta, habere suas proprietates.* Sic enim verba tua accipio, altera parte rationis tuæ, quadam tua vel typographi incuria, omissa. Respondeo igitur ad hanc tuam rationem, ac dico, pro concessu te sumere, necesse esse, quamlibet rem habere suas proprietates, si modò proprietates distinctè accipiassab esse. Quin manifestè principium petis. An non enim, cùm dicis, unamquamque rem habere suas proprietates, simul id pro concessu sumis, de quo disputatur? Itanè non vides, eum, qui negat, ecclesiam habere proprietates certas, negaturum tibi, omnem rem habere suas proprietates?

Sequuntur tua verba, Tantus, ut video, philosophus es, vix ut patrem Raco viæ habeas. Cùm obiecisset Socino Miedzibozius, qui dubitat de individuo aliquo, sit nec ne homo, simul etiam dubitare, an sit mente præditum, cùm hæc idem sint penitus, atque ad utrumque cognoscendum aliquid aliud adhiberi debeat: & qui probat unum per aliud, is petit principium, ostendendo idem per idem. Ad hæc tu ita respondes, etiam si homo & mente præditum, sint idem; posse tamen ostendi unum per aliud, & parum referre, etiam si probetur idem per idem, sed satis esse, si unum notius sit altero. Notius autem est, mente præditum esse, quam homo, cùm hoc definiti, illud definitionis ratione habeat: definitio autem notior est suo definito. Hoc autem confirmas exemplo præmissarū, & conclusionis, quæ idem esse pidentur, & tamen unum probatur per aliud. Responsio mea, paulò aliter, quām tu eam recitas, formata est. Ad hunc enim modum scripsi, Obicit respondens, eum, qui dubitat, an hoc individuum sit homo, & quæ dubitare, an sit mente præditum. Atqui ego ajo, non semper ita rem se habere. Nonne definitio est notior suo definito? Nec obstat, quod dicit respondens & alii, peti principium, quoties definitum per defini-

Non omnis res  
habet suas pro-  
prietates.

definitionem probatur. Nam, ut petatur principium, non id præcipue & perpetuò facit, si idem per idem probetur: sed si ignotum per ignotum probetur. Iam ad syllogismum conficiendum satis est, si ex notis ignotum inferas, sive idem per idem probetur, si re non: Quin inò semper præmis-  
sa idem esse videntur, cum questione seu conclusione. Et sanè, si definitum à definitione probari non posset, inutilis locus eßet de definitione; inutilis & illa verissima, non minus, quam vulgatissima regula: tum duo eadem esse inter se, cùm uni tertio idem sunt. In qua responsione, duo sunt, ad quæ respondeo. Unum, non esse necesse, ut, cùm dubitatur, utrum hoc individuum sit homo, dubitetur, utrum sit mente præditum. alterum, occasione sumpta ex objectione, quæ afferri poterat, nihil obesse, etiam si idem per idem probetur: petitionemque principii non in eo consistere, si idem probetur per idem, sed, si ignotum per ignotum. Prioris rationem attuli, definitionem definito esse notio-rem: Posterioris hæc quatuor argumenta. Primum est, naturæ syllogi-smi non repugnare, si idem probetur per idem, sed si ignotum per i-gnotum probetur. Secundum, Præmissas semper idem esse cum con-  
clusione. Tertium fore locum de definitione inutilem. Quartum de-nique, non minus verissimam quam vulgatissimam esse regulam, tum duo eadem esse inter se, cùm tertio idem sunt. Hisce argumentis co-natus sum ostendere, nihil esse absurdum, si idem per idem probetur: quod probarem, non continuo peti principium, si idem probetur per idem: addens præterea, quæ sit petitionis principii natura. Ad hanc meam responsonem evertendam quid producas, videamus.

Inquis: si homo & mente præditum idem sunt penitus, & sub eadem ratione accipiuntur, quomodo unum notius erit altero? Certè idem, ma-nens idem, semper est idem, ut vulgo dici solet. Si ergo definitio & defini-tum idem sunt penitus: Ergo, sicut unum est ignotum, ita & aliud: & ita non ignotum per notum, sed ignotum, per æquum ignotum probatur. Re-spondeo, primum te rem ab omnibus decantatam, &, quod dicitur, lippis actionibus notam, insificari. Quid, quæso, in scholis recepti-  
us est, quam definitionem, suo definito, esse notiorem? Deinde, non obstat, definitionem, suo definito, esse notiorem, id, quod re ipsâ sunt idem. Non enim ita sunt re ipsâ idem, ut ratione non sint diver-sa, cuius respectu, alterum, dicitur altero notius. Quis ita crassè di-  
ctum nostrum accipiat, ut nihil, inter hæc, discriminis, nos statuere velit? Quorsum vero aīs, idem manens idem, semper est idem? Num,  
si diversa ratione statuamus idem esse notius & ignotius, idem ma-nens idem, non erit idem? At quis tibi hoc concedet, qui modò scit,  
non abhorrere aero, idem posse esse notius & ignotius, diversis ra-  
tionibus?

Repetitio ante dictorum.

Definitio semper est notior defi-nito.

tionibus? Alterius disputationis ita tu conarisi solvere argumenta mea: atque omissa ad primam meam rationem responsione, ad secundam ita respondes: *Iam illud, ubi didicisti, præmissas idem esse cum conclusione?* Sanè philosophi docent, præmissas, respectu conclusionis, habere rationem cause efficientis (siquidem assensus præmissarum efficit in mente assensum conclusionis) causa autem efficiens non potest esse idem cum suo effectu: alioquin esset causa sui ipsius, quo nihil absurdius dici potest. Animadvertisendum est, me non simpliciter dixisse, præmissas idem esse cum conclusione: sed videri, idem esse. Quâ loquendi formâ significare volui, non prouersus idem esse, præmissas cum conclusione, sed omnem conclusionem esse in præmissis. Respxienim ad extrema conclusionis, quorum alterum propositionem, alterum assumptionem, cum medio conjunctum, efficit. Itaque præmissæ, a conclusione hoc tantum differunt, quod conclusio medio careat: præmissæ autem eo carere nequeant. Quod si quis medium terminum urgeat, & dicat, illius vi conclusionem inferri, respondebo, non simpliciter vi medii termini inferri conclusionem, sed vi dispositio- nis medii cum extremis questionis seu conclusionis. Vbi præterea sciendum est, esse quosdam, qui arbitrantur, conclusionem ex præmissis vigore medii, seu ex connexione medii, & legitima dispositio- ne ejus, cum extremis questionis ideo necessariò sequi, quod medius sit illud tertium, in quo, extrema conclusionis sunt idem, juxta regulam quartæ rationis loco a nobis allatam, quâ regulâ, syllogismi categorici nexus & ligamenta constare censentur. Quod si admitta- tur, non video, cur non potuerim rectissimè dicere, præmissas cum conclusione esse idem. Et tamen ad eum modum non sum locutus.

Quod attinet tuam rationem, ea fallaciâ ignorationis elenchi tibi imponit, quæ ex diverso respectu oritur. Præmissæ sunt causa efficiens conclusionis, si vim illationis & consequentia spectes: At eadem sunt idem cum conclusione, si attendas materiam. Nonné utrumque conclusionis extrellum, quæ est ejus materia, in antecedente syllogismi est: Majus quidem propositionis, minus, assumptio- nis locum occupat.

Tertiam rationem nostram impugnas, inquiens, *At ego dico, uti- tem esse locum a definitione, sed oportere, ut definitio, per quam probandum est, nota sit illi, cui aliquid probari debet.* Nam si illi ignota fuerit, nihil est, quod speret, quidquam tali probatione apud eum profici posse. Hujus rationis meæ vis hæc est, definitum per definitionem probatur: Ergo idem probatur per idem. Consequentiam patere arbitra- tus sum. Definitum enim & definitionem re ipsa esse idem, infelolis perhibent.

*Quomodo præ-  
missæ idem dici  
possint cum con-  
clusionis.*

perhibent. Itaque solius antecedentis rationem habui, quod verum esse, demonstrare volui, quod locus de definitione, esset inutilis, id est, falso doceretur, inde argumenta deponi posse. Cujus mei argumenti callidè vim declinas, dicens locum adefinitione esse utilem, sed ita, ut definitio, per quam probandum est, nota sit illi, cui aliquid probari debet. Atqui istud dicere, non est, respondere ad argumentum, vimque ejus infringere, aut nullius esse momenti ostendere. Non sum ita hebes, ut non sciam, definitionem debere esse illi notam, cui aliquid per eam probatur. Aliud quæro, ad quod tu mihi respondeas. Cur, inquam, idem per idem nequeat probari, cum definitum per definitionem, & contrà probatur, definitione & definitio idem existente. Idem enim est, exempli causa, homo, & animal rationale. Quod ipsum etiam uterque vestrum adversum nos urget, cum ostendere conamini, cum queritur, utrum quodpiam individuum sit homo, hoc ipsum queri, utrum sit mente præditum.

Vltimam rationem ne attingis quidem, satis habens dixisse, te non videre, regula illa, ad quid mihi serviat: nisi ut probeam, præmissas idem esse cum conclusione. Sed non hoc spectat. Ostendere eâ cognatus sum, idem per idem posse probari. Regula enim illa docet, duo fore idem, si utrumvis cum tertio sit idem. Exempli causâ: Quæritur, utrum homo idem sit, quod animal ridendi facultate præditum? Ut autem ostendamus id ita esse, tertium assumimus, adversario notum, in quo utrumque conveniat, id est, quod idem sit cum utrovis. Est autem illud, animal rationale. Nam quid est homo aliud, quam animal rationale? & quid animal ridendi facultate præditum, quam hoc ipsum? Ergo, si tum homo, tum animal ridendi facultate præditum, idem sunt quod animal rationale: homo & animal ridendi facultate præditum, idem erunt. Et hæc tu adversus meas rationes differuisti, quæ a me prorsus eversa esse, tute intelligis. Illud certè silentio involendum non est, nihil te ad primam meam rationem respondisse: Ac neque quicquam respondeas ad ea, quæ de natura petitionis principiū dixi. Quod ipsum haud ægrè ferrem, nisi animadverterem, haud te probare ea, quæ ad explicandam petitionis principiū natum attuleramus: verum e verbis tuis ejusdem quinti capituli intelligo, te placitum Miedzibozii, ac vulgo receptam petitionis principiū explicationem sequi. Paginâ enim vicesimâ primâ, ais, probare, Vnum per aliud, esse principium petere, idque rectè a Miedzibozio dictum. Quare miror, tē ausum fuisse mihi candem petitionis principiū explicationem obtrudere, quam me improbare, & aliter ea de re sentire, intelligeres, nonaudens nostra, quæ ea de re attuleramus, convellere.

His confessis, sophistate tuo, quædam alia dicta mea eludere vis, in hunc modum scribens, *Iam cùm dicis plura esse individua ratione prædicta, quæ tamen non sunt homines, potuit né quicquam dici inscitus? nonné ratione præditum, est essentialis hominis differentia?* Quod si ita est, quomodo igitur alteri, quam humanæ naturæ convenire potest? Aut tu quoque beluas ratione prædictas affirmabis? Nisi forte existimes, Angelos rationis participes esse. Sed neque hoc verum est. Nam ibi est ratio, ubi est discursus. Angelii autem non discurrunt, sed simplici intuitu cognoscunt omnia, qua etiam de causa a Philosophis intelligentiae vocantur. Aliud est intellectivum esse, aliud ratione præditum esse: illud Angelis convenit, hoc minime. Ita tu philosopharis. Sed non attendis, frustra te intellectum, a ratione distinguere. Ratio enim, & intellectus, sive numero pro eodem sumuntur, quicquid nunc rationando quidpiam cognoscit, nunc solo intuitu. Esto igitur, Angelos simplici intuitu omnia cognoscere, non tamen hinc sequetur, Angelos quidpiam potius, quam rationem habere. Quanquam quis Angeli naturam adeo cognovit, ut ista securè fabulari mihi queat? Certè si, quod debemus, sacras literas sequivelimus, longè aliter rem se habere statuendū erit. Hæ enim de Angelis ea dicunt, quæ discursu eos quædam cognovisse & cognoscere produnt, ut inter alia est, quod eis certo tempore innotuerit per ecclesiam multiformal sapientia Dei, & quod desiderant prospicere in salutem humani generis, testis D. Paulo & Petro: Imò propria particula mysterii pietatis Paulus id cōmemorat, quod Deus visus sit Angelis. Taceo nunc, quod quibusdā viris doctis non absurdum videatur, Deum ipsum quædam dianoia, ut illi loquuntur, vel ratiocinando intelligere. Verum enim verò tu inquis, ratione esse præditū, essentialē esse hominis differentiam: unde concludis, alteri, quam humanæ naturæ, ratione esse prædictum, non convenire. Evidem non diffiteor, sed non si consideretur ratione Angelorum. Nam quid prohibet, utrisque commune esse, ratione esse prædictum? cùm non sub eodem genere continantur? Ad constitendum inter homines, & Angelos differentiam, satis est, hominem esse animal. Differentiam essentialē unius, non competere alteri, tum verum est, cùm sub eodem utraq; genere continentur. Atqui homo, & Angelus genere differunt.

Restat disputatio, de certa quadam Socini argumentatione, quæ fuit, sacrarum literarum interpretationem non esse ab ecclesia pertendant: nisi velimus, prius cognitam esse ecclesiam, ante quam illud cognoscatur, unde ipsa cognoscenda est. Etenim neque de salutari doctrina, neque de notis ecclesiæ, ex quorum alterutro ecclesia sit cognoscenda, nobis constare potest, quamdiu de mente seu sensu sacrarum

Ephes: 3. 10.  
2. Pet: 1. 12.  
2. Tim: 3. 16.

Ratione prædi-  
tum esse, cur An-  
gelis & homini-  
bus competit,

Repetitio di-  
ctio-  
rum.

erarum literarum, nihil compertum habemus. Hoc argumentum Miedzbozius in hunc modum proposuerat: *Verum tu urges adhuc, notas hasce, quas Catholici assignant, si vera sunt, debere ex scriptura deponi. Quod si ita est, prius igitur agnoscendam esse scripturam, & quod ex eo sequitur, notio rem esse, quam Ecclesiam, ac proinde hanc ex illa, non contra, ostendi debere: nisi velimus, eodem tempore, & notio rem esse & ignotio rem, quod, ut ait, implicat contradictionem.* Itaque dixi, Miedzbozium bonam verborum Socini partem omisisse, ad illamque haud respexisse, & tantum ultimo loco sequentium rationem habuisse; addens Socinum hoc tantum inferre, id est, ex verbis ejus colligi posse, notas ex sacris literis cognosci debere: ac proinde ecclesiam ex notis cognosci non posse, sacrarum literarum cognitione ab ecclesia pendente. Alioquin notas prius cognitas fore, quam illud esset cognitum, unde ipsa cognosci debeant, quod non solum est absurdissimum, sed etiam implicat contradictionem.

Quibus explicatis, quae ad me refellendum affers, attendamus. Ait, *Nullam te hic difficultatem aut contradictionem videre, falsum enim esse prius notas cognitas fore, quam illud esset cognitum, unde cognoscendae sint.* Quare dabo operam, ut intelligas, falsum id esse minimè. Cùm igitur aitis, ex notis ecclesiam cognosci, notas esse cognitas, antequam ecclesia cognita sit, aperte statuitis. At cùm iterum dicitis, notas ex sacris scripturis deponi, quod est, inde cognosci, scripturas notiores, quam notas, facitis. Tertio loco, cùm affirmatis, ecclesiam esse, quae cognitionem scripturarum suppeditet, ecclesiam esse prius cognitam, quam scripturam, innuitis. Quod cùm ita sit, quis ita hebes est, qui non intelligat, ex his necessariò sequi, notas fore prius cognitas, quam illud sit cognitum, unde illæ cognosci debent? Negationis tuæ rationem affers, Miedzbozium dicere, scripturam prius cognosci, ex illa demum notas colligit. Sed hoc est, quod in subsidium causæ nostræ sumimus: & ex quo argumentamur, adversus vos. Etenim si scriptura prius cognoscitur, & ex illa de munis notæ colligendæ sunt, porrò ex notis ecclesia, ut vultis, qui verum erit, ab ecclesia scripturam esse cognoscendum, quæ non nisi tertio, id est, ultimo loco, cognoscitur? An hoc non est illud, quod dico, fore notas prius cognitas, antequam illud erit cognitum, unde illæ cognoscendæ sunt? Contradictionē non animadvertis? Quia eam esse nolletis. Sed velitis nolletis, fateri cogimini, vi ipsius veritatis, implicari hinc a vobis contradictionem. Scio vestrum effugium, sed ita inane, ut de causa vestra actum esse videatur. Duobus enim modis scripturam interpretamini. Nunc pro libris divinitus scriptis: nunc pro ilis, quæ illis libris continentur.

Quomodo ergo traditio in eos sit, si dicatur ab ecclesia interpretationem scriptura esse petendum: vel ecclesiam ex notis esse cognoscendam,

Effugium aduersariorum,

Priori significacione scripturam prius esse cognoscendam, quam no-  
ras ecclesiaz conceditis: posteriori notas, & inde demum ecclesiam,  
quaec ecclesia tandem verum ac legitimum sensum nobis suppeditet.  
Hoc est illud effugium vestrum, sed frustra inventum. Etenim non  
alia scriptura ab ecclesia cognoscenda est, sed illa ipsa, quae prius co-  
gnoscitur, ut ex illa notaz cognoscantur. hoc est, utrobique scriptura,  
pro iis, eorumque mente & sensu vero ac legitimo sumitur, quae li-  
bris divinitus dictatis continentur: nullibi verè pro libris sacris & au-  
thenticis. Nam nisi nobis de sensu sacrarum scripturarum prius con-  
stet, quam de ecclesiaz notis. qui notaz ex sacris literis poterunt de-  
promi atque cognosci? Num verendum non esset, ne, mente & sensu  
vero ac legitimo sacrarum literarum ignorato, quidpiam aliud no-  
bis obtrudatur, quam notaz ac item, ne de sensu locorum scripturaz,  
quibus notas ecclesiaz contineri dicatur, eadem maneat dubitatio,  
quaec est inter nos de religionis dogmatibus? Et sancte id ita esse experi-  
mum, cùm de hisce notis inter nos disputatur: vobis ejusmodi scriptu-  
rae testimonia, pro vestris notis afferentibus, de quorum interpretati-  
one sèpius inter nos dubitatur. Quod cùm apud me diligentius con-  
sidero, còsidero autem sèpius, haud mirari satis quo, audere vos ejus  
modi notas nobis obtrudere, de quibus non minus dubitatur, quam  
de ipsa ecclesia, quænam seu apud quos sit. Itaque ex his videre est,  
non satis esse, ad ecclesiaz notas cognoscendas, credere, libris, ex qui-  
bus probantur, esse sacros & a spiritu sancto dictatos, sed amplius ne-  
cessere est, mentem scripturarum tenere, habereque cognitum.

Sed quorsum vestrum de distinctione scripturæ còmentum, Socini  
argumento retento, in quo non de scriptura, sed de scripturæ inter-  
pretatione sermo est? Affirmat Socinus, ab ecclesia sacrarum litera-  
rum interpretationem non esse petendam, quòd, nisi de interpreta-  
tione sacrarum literarum nobis constet, ecclesia cognosci nequeat:  
posito eo, ecclesiam ex notis cognoscendam esse: notas verò, ex scri-  
pturis. Eadem est ratio alterius verborum Socini partis, a Miedzibio-  
zio omisæ, a te verò ad refellendum tibi propositæ. In qua refellen-  
da, inquis, contradictionem te nullam videre, deceptionem tamen non  
parvam animadvertere. Atqui vix credere possum, te nullam videre  
contradictionem, si sumere patiaris Socinum pro concessu, ecclesi-  
am non posse cognosci, nisi antecedente salutaris doctrinæ cognitio-  
ne, quod pro concessu Socinum lumperisse, probè animadvertere po-  
quisti. Quid enim? Audebis tu dicere, ad cognoscendam salutarem do-  
ctrinam, sufficere, firmiter tenere, libros novi Testamenti divinitus  
esse dictatos, quicquid verum & genuinum sensum eorum, quæ il-  
lis libris

Iis libertis continentur, nesciamus? Evidem haud mihi persuadeo, te  
adeo futurum audacem: alicquin ipsa te refutaret experientia. Ete-  
nim quotquot religionem Christianam profitemur, indubitanter  
credimus, libros novi Testamenti, a spiritu sancto profectos esse. Et  
tamen in quod se feras divisum sumus, de salutari doctrina inter nos con-  
tendentes? Vnde apparet, salutarem doctrinam non cognosci, nisi  
verum & genuinum sensum sacrarum literarum teneamus. Quid i-  
gitur clarius est, quam, eo posito, ecclesiam non nisi ex salutari do-  
ctrina cognosci posse: salutarem verò doctrinam ex sacris literis: de-  
nique sacrarum literarum interpretationem ab ecclesia esse peten-  
dam, ecclesiam esse cognitam, antequam illud cognitum esset, unde  
ipsa cognosci debet?

Aistu quidem, Si Socinus per salutarem doctrinam intelligat veram de Deo existimationem, & sanam eorum, quæ fide credenda sunt, intelligentiam, sic falsum esse ad Ecclesiæ cognitionem, cognitionem salutaris doct inæ requiri. Sed primùm dico, ex eo, quod, si per salutarem doctrinam Socinus intelligat, veram de Deo existimationem, & sanam eorum, quæ fide credenda sunt, intelligentiam, inficiaris, ad ecclesiam cognoscendam, necesse esse prius cognoscere, quænam sit doctrina salutaris, non sequi, argumentatione Socini, nullam contradictionem monstrari: Sed ostendendum tibi fuit, nullam posse esse contradictionem, quam Socinus urget, etiamsi salutaris doctrinæ nomine, non ipsas sacras literas seu libros divinitus scriptus, (verba tua sunt) sed etiam rectam de Deo existimationem, & sanam eorum, quæ fide credenda sunt, intelligentiam, Socinus intelligat. Nunc enim de sola contradictione agimus, & non de veritate eorum, quæ a Socino in argumentatione proconcessio sumuntur. Quam te contradictione nullam videre ait: Sed falso, ut videre potuisti, admisso eo, non nisi ex salutari doctrina ecclesia posse cognosci. Deinde, cum ad antecedens Socini respondes, id est, negas, ex salutari doctrina ecclesiam esse cognoscendam, fingis. Socinum simpliciter, & non ex hypothesi seu concessis, argumentari. Quo factum est, ut tu & Miedz: verba Socini conjuncta, disjungatis. Socini enim argumentum, duabus constat partibus. Sic enim procedit. Duo sunt, ex quibus verisimile est, ecclesiam posse agnoscere, salutaris Christi doctrina, & ecclesiæ notæ. Vtrumvis admittatur, falso est, ab ecclesia interpretationem sacrarum literarum esse petendam. Ratio consequentia, fore ecclesiam cognitam, antequam erit cognitum illud, unde ipsa cognosci debet. Quid tum? Quia tum salutaris doctrina, tu ecclesiæ notæ non cognoscuntur, nisi nobis

nobis constet de vera sacrarum literarum , unde utrumque deprendum est, interpretatione.

Ex his, quæ haec tenus disputavimus , non solum planum ac perspicuum est, contradictionem a vobis admitti, dum simul stare vultis, ex notis ecclesiam cognoscendam esse , notas ex scripturis , & sacrarum literarum interpretationem ab ecclesia esse petendam : verum etiam, justas me causas habuisse , cur conquererer de Miedzibozio, omisisse eum alteram Socini verborum partem, quâ alterum ejus ratiocinationis membrum explicatum fuit : neque hoc tantum , sed cùm non posset Socini rationem solvere, verba ejus mutasse, proque vocibus cognitum & non cognitum , quædam alia supposuisse. Valde enim premit , cùm sic argumentamur: Nisi nobis de interpretatione sacrarum literarum constet, ecclesia cognosci non potest. Itaque interpretatione sacrarum literarum ab ecclesia non potest peti. Vbi notiori & ignoriori nullus locus est: at est, cognito & non cognito. Erit enim ecclesia cognita, antequam cognoscatur illud, unde cognoscenda ipsa est.

Ab hac disputatione transis ad aliam: ac quæreris, utrum notius sit, ecclesia , an verò scriptura? ubi distinguis scripturam , inquiens, nunc ex suppositione, nunc simpliciter & absolute scripturam sumi. Priori modo acceptam, notiorem esse dicis, quam ecclesiam: posteriori ecclesiam , & non scripturam. Sed cùm ego in mea adversus Miedzibozium disputatione, dicerem, scripturæ appellatione vos absuti, sumentes scripturam non pro verbo divino, seu doctrina Christi, sed pro charta, id est, pro doctrina Christi, literis mandata, & in chartam relata: nobis, scripturæ nomine, verbum Dei simpliciter considerantibus, audes dicere , utroque modo scripturam consideratā, notiorem esse, quam ecclesiam. Id verò ita deducis, Verbo etiam divino, quod ab Apostolis prædicabatur, non statim credebant , nec poterant inducere animum, ut sibi persuaderent, illa, quæ audiebant ab Apostolis doctrinam esse a Deo traditam. Quid ergo faciebant? Primum contemplabantur recentem illam ecclesiam , & familiam Christi: videbant in illa summam vitæ innocentiam: videbant illa, quæ dicebantur ab ea confirmari multis & maximis miraculis, videbant & alia nonnulla, quæ hic referre non est necesse. Hoc ubi sibi persuaserunt, non difficulter deinde inducebantur, ut crederent doctrinam, quæ ab illis tradebatur, esse verè verbum Dei. Ita tu. Sed o bejlam Borcovij declarationem hujus nostræ controversiæ. Non attendis, vel potius attendere non vis, eam ecclesiam, quam priorem statuis, quam verbum Dei prædicatum, non nisi antecedente prædicatione verbi Dei prædicti collectam esse? An verò credis, extitisse

extitisse ecclesiam, prædicatione verbi Dei. Atqui prius Christus prædicarunt, quām Apostoli, & primi post Apostolos, crediderunt. Nonnē fides ex auditu? Auditus ex prædicatione? An finges mihi ecclesiam, quæ nihil credit? Qui sit Borcovi, ut veritatem scientes prudentes opprimatis?

Dixeram pro assertione mea, Deum, medium fundandæ & colligendæ ecclesiæ suæ, non aliud voluisse, quām annunciationem promissorum & præceptorum suorum. Id tu, et si verum quidem esse facteris, tamen potuisse dubitari ait, an illa annunciatione esset a Deo, sed, postquām cognita est ecclesia, tum demum ex testimonio ipsius creditum esse, illorum omnium, quæ annunciant Apostoli, Deum fuisse autorem. Vbi ita loqueris, quasi verum sit, ecclesiam potuisse consistere, illam primam, absque præcedente annunciatione promissorum & præceptorum Dei: quod tacitè affirmas, dum primum, eâ cognitâ, creditum esse ait verbo Dei, id est, promissis & præceptis Dei. Illa ecclesia, quā tu cognitâ, ait, creditum esse, illorum omnium, quæ annunciant Apostoli, Deum fuisse authorem, præcedentené prædicatione promissorum & præceptorum Christi, fundata & collecta est? an verò prior extitit hisce? Si non nisi, antecedentibus istis, extitit, & iis superædificata est, qui absolutè & simpliciter loquendo, verbum Dei non erit notius, quām ecclesia? Nonnē ea simpliciter & absolutè notiora sunt, quæ tempore priora sunt, quibusque sublati, cetera necesse est auferri? Atqui aufer verbum Dei, id est, prædicationem promissorum & præceptorum ejus, poteritne ecclesia consistere? Cur igitur ecclesiam simpliciter & absolutè notiorem esse statuitis, quām verbum Dei prædicatum: annunciationem, inquam, promissorum & præceptorum divinorum? Quare ex hisce, aduersus te a me disputatis, intelliges, frustrate conatum esse, rudioribus fucum facere, & nebulas veritati obducere. Nunquam, crede mihi, evinces, nec si sis subtilissimus, simpliciter & absolutè ecclesiam esse notiorem, quām verbum Dei prædicatum.

**REFUTATIO CAPITIS VI.** cuius titulus est:  
*Fabula sunt, quæ Theophilus narrat de sua ante Lutherum Ecclesia.*

Cù m durationem ecclesiæ Romanæ urgeret Miedzibozius, & nobis, qui ab ista ecclesia recessimus, defectionem ecclesiarum nostrarum objiceret, ego ad objectionem istam, de defectione ecclesiarum Lutheranorum, Calvinistarum & Anabaptistarum, vel omnium

Repositio diac.  
sum.

potius, qui a Papatu secesserunt, tria responderam. 1. Probari non posse, omnes defecisse, potuisse enim esse & tamen latere, ut exemplum illorum, qui tempore Eliæ latebant, & istorum, qui nunc degunt in Italia, Romæ & alibi, ubi Inquisitio Hispanica viget, docet. 2. Probari posse, semper fere fuisse, quia semper fuerint ii, qui contra eos scribant, & quorum scripta in die in hodiernum extent: Vnde etiam hodie dicere soleant Pontificis, jam pridem esse damnatas sententias, quas cætus illi, qui sunt extra Papatum, sectantur, quod dicens non possent, nisi iam antea extitissent. Quod vero oppressi sint, ita ut in numerum aliquem insignem excrescere semper non potuerint, & una cum eis scripta illorum, id tyrannide hominom, malitia satanæ & permisso divino factum fuisse. 3. Etiam si omnes defecissent, tamen hinc non sequi, eos non esse Christi ecclesiam. Non enim necesse esse, ut ecclesia semper duret, nec promissum de ista perpetua existentia vel extare vel extare posse; & aliunde denique cognosci posse, homines esse Christi ecclesiam, si scilicet sacris literis consentanea doceat.

Hæc omnia, quæ & verissima sunt & facilissima, hoc cap: imperit Borcovius. Videamus quo successu. Ad primum respondet: *Quomodo ex ipsis occultis per tot secula aliquis se non prodidisset, in tanta præsertim diversitate naturarum & ingenuorum, quibus, quod modò placet, postmodum displiceret? Nullusne inventus est, qui toto illo tempore ab illis desiceret, eorumque mysteria enunciaret?* Sed hæc nihil ad rem faciunt. Ita enim respondet Borcovius, ac si ego dicerem, semper per tot secula latuisse ecclesiam vel Christi fideles. Cum res longè aliter se habeat. Dicimus enim, publicè extitisse ecclesiæ, quæ illud idem confessæ sunt, quod hodie confitentur ii, qui a Papatu secesserunt: sicut autem non apparuerint, negamus, inde consequi, quod non extiterint re ipsa. Quia scilicet latere potuerint, ut exemplum illorum, qui tempore Eliæ latebant, ad oculum docet. Deinde censet Borcovius, ecclesiæ Iesu Christi, quæ tunc fuit, ex ea, quæ nunc est: & quia, quæ nunc interdum sunt, tunc facta non sunt, ecclesiæ etiam tunc latenter fuisse negat. An vero non potuit fieri, ut nemo inter illos paucos, qui tunc latebant, esset adeò impudens & impius, ut suos fratres prodere vellet veritatis hostibus? ut etiam hodie videmus fieri in iis locis, ubi illi sunt, qui diversum a Papatu sentiunt. Latent scilicet inter medios hostes, & interdum alii alios etiam non norunt, & tamen sunt Christi ecclesia? Nonne etiam fieri potuit, ut interdum aliquis proditor inter eos existeret, qui aliis periculum crearet apud illos, penes quos rerum summa tuerat, & ita latens illa ecclesia persecutione oppressi potuit, ut hodie etiam in aliis provinciis fieri videamus & audiamus.

59  
mus. Quod verò paulò post ait Borcovius, quomodo homines erratici & per varia loca dispersi ecclesia dici possunt? cum sit civitas quædam teste Christo? hoc est, illudere & insultare populo Christi, vel in carne gloriari. Nonnè enim erant populus Dei, de quibus legimus, quod circuiverint in ovillis & caprinis pelibus, egentes, afflicti, male tractati, quibus non erat dignus mundus, in solitudinibus errantes, & montibus & speluncis & cavernis terræ, quæ verba etiam ad Christi populum referri posse, vel saltem, illud ipsum Christi populo etiam evenire potuisse, nihil prohibet. Ecclesia sunt, qui Christi religionem amplectuntur, in Christum credunt & eidem obediunt. Ad hoc verò non locis fixis & celebribus, non numerosa multitudine, sed animo tantum religioso & vitâ piâ opus est. Verba porrò Christi tantum docent, quid ecclesia ipsius esse debeat, vel sit, quamdiu ecclesia ipsius incorrupta manet: Si verò ipsa ecclesia corruptatur, & suo modo ecclesia esse desinat, quomodo instar civitatis in monte positæ esse potest? Corrumphi autem posse ecclesiam & ita desinere, tum ipsa sacra litera testantur, tum res & experientia comprobant.

Sed hic insignis doli cōmonefaciendus est Borcovius. Cur enim ad exemplum multorum Dei cultorum, tempore Eliæ, nihil respondit? Num & eos proditores appellabit, qui tamen ita latebant, ut nec ipse Elias, Dei cultor summus, eos existere cognitum haberet? Videsigitur, pie lector, nihil aliud esse, quod hic prolixè persequitur Borcovius, quam superbam & superciliosam debacchationem in misellum Christi populum, qui olim latere etiam coactus fuit, ut tempore Eliæ latere cogebantur septem millia hominum.

De iis, qui in Italia, Romæ & alibi, ubi inquisitio Hispanica viget, latitant, nihil etiam attulit dignum refutatione. Tantum enim ait, latere unum vel alterum annum non est difficile, sed tot seculis diversam ab aliis religionem profiteri, neque tamen deprehendi potuisse, id verò est miraculum omnium maximum. Sed jam Romæ & in Hispania multi latent ab eo tempore, quo Evangelica veritas denudò revelata cepit, quod integrum sacerdotium seculum est, & tamen diversam a Pontificiis sequuntur religionem. Et quia perpetuò latere non possunt, ideo etiam multi, ut seculis præteritis, ita & nunc, vita privantur, bonis omnibus exuti, ita ut non habuerit, cur illis oppone ret sanctos Martyres Borcovius. Plura enim martyria hoc elapsò seculo subierunt in Belgio, Italia, Hispania, Gallia & aliis regnis Europæis Christi causâ, qui a papatu secesserunt, quam, non dicam ullum aliud seculum, sed fortassis, quam omnia alia secula: & satis superque indicârunt, scilicet, etiam nati essent in medio idolatriæ, tamen ab ea semper abhorruisse, & vi-

Heb:ii.37,38.

Matth: 5.14.

Quatenus ecclesia fit instar civitatis.

Dolus Borcovii.

Ecclesia facere potest.

Martyria nostri fecili superante aliis non secundorum martyria.

tam profundere maluisse, quām tanti sceleris cōplices esse. Et miror sanè, Borcovium ita in occultos Christi nominis professores invehi, cūm Iesuitæ de ecclesia suorum in Anglia, certè non publicè ritus ecclæsiæ Romanæ peragente, non leviter glorientur, ut inter alia, literæ Campiani Iesuitæ docēt. Notandum autem est, nō ubiq; locorū & omni tempore tantam fuisse & esse conscientiarum oppressionē, qualis hodie est ibi, ubi Papæ viget imperium & Hispanica inquisitio: & ita facile fieri potuisse, ut multi essent, qui in ipso Papatu a multis retro seculis degebant, aliam religionem sequerentur, & idolatriæ istius planè essent immunes, ut hodie in quibusdam regnis fieri audimus & videmus, ubi religio quidem Pontificia publicè prædicatur & exercetur: interim tamen nemo ad eam se etandam vi adigitur, sed libertas religionis, dummodo pax & tranquillitas publica sarta maneat, si non aperte, saltem tacite permittitur.

Ad alterū nihil respondet Borcovius, quod dignum sit defensor ecclesiæ. Extitisse omnibus ferè seculis, qui publicè professi sint id, quod hodie ii, qui a Papatu secesserunt, probo, quia extant scripta Patrum, quæ adversus horum similes scripsierunt: quia Pontificii gloriantur, sententias, quas illi sequuntur, jam pridem a suis patribus damnatas esse. Borcovius dicit, *me non nominare illos, sed se facile suscipi cari posse, quos intelligi velim, nempe Marcionitas, Manichæos, Pelagianos & similes, & hos nobis se largiri ait; sed ita, ut eos neget esse Ecclesiam, sed hæreticos:* idq; antiquitate & testimonio Lutheri & Calvini comprobatur. Simonem Magum, Ebionem, Cherintum & alios nostros etiam fuisse air, & a Patribus refutatos esse gloriatur. Sed nihil promovet, & aqua ipsi hæret. Nam non statim hæretici sunt, qui tales ab ecclesia Romana habentur, vel olim etiam ab ecclesia antiqua habitis sunt. Cūm ad hæreticum constituendum talis circa religionem Christi error requiratur, qui fidem in Iesum Christum tollat necessariò. Quod, an dē omnibus, quos nominat Borcovius, dici possit, magna eget disquisitione. Potest autem aliquis errorem vel etiam errores multos sectari, qui fidem in Christum non tollunt, & ita Christi ecclesiæ membrum esse. Et certè, si ad Evangelii regulam examinanda essent opiniones multorum, qui pro hæreticis hodie proclamantur, constaret, graviter olim peccatum esse, & nunc etiam peccari, dum, qui pro fratre errante & infirmo habendus esset, pro hoste Christi & hæretico habitus fuit & habetur. Deinde non tantum adversus paucos hos, quos Borcovius hic nominat, scripsierunt Patres Pontificii, sed etiam adversus alios complures, qui in plarisque idem, quod hodie Lutherani, Calvinistæ, & Anabaptistæ profitentur, quibus Pa-

Non omnibus seculis eadē & subiç; fuit conscientiarū servitus.

Non omnis error facit hæreticum.

bus Pates Pontificii nulla re fuerunt superiores, quām vi & potentia humana: Imò viri fuerunt multipli eruditione & pietate insignes, illi , quibus Patres illi sese opposuerunt , cūm interim ipsi Patres, qui alios scriptis suis, quæ humana tyrannis conservavit, opprimere co- nat sunt, rudes, respectu istorum, essent, & interdum etiam, quoad vi- ta sanctimoniam, infames. Quod si de quibusdam Patribus prolixius speciatim comprobare vellē, hui, quomodo indignaretur Borco- vius, qui ferre non potest, ut in genere multorum errorum & pecca- torum defensores dicantur fuisse Patres ecclesiæ Romanae: & dum il- los a me contemni, ut ipse ait, agrè fert, ita me, quem ministellum aut pædotribam diabolarem appellat, præ illis contemnit, ut verba me illius impura referre pudeat. Vnde apparet, me vera dixisse, quia tan- topere ringitur Borcovius. Cur enim non ostendisset potius, eos ve- ra defendisse adversus eos, quos egoveritatem tenuisse colligo, quām me ita superciliosè tractaret? Deponat modò personam, quam sumis in hac comædia, Borcovius, & experietur, plurimos extitisse hoc se- culo nostro, qui Patribus illis non tantum sint pares, sed etiam in mul- tis superiores. Quid enim? num tanti faciendi sunt Patres ecclesiæ Romanae, quanti eos facit Borcovius , quorum scripta variis errori- bus, variis repugnantibus, addo etiam blasphemias referta sunt? Num seculis præteritis Spiritus sancti dona commissa fuere, nostro negata? Ecce ego tibi, Borcovi, dico iterum, quod res est: Non paucos fuisse inter illos, qui a Papatu secesserunt, & in nostro etiam cœtu aliquos, quibus, si vivi essent, Patres isti, sponte sua, si non suâ superiorum, saltem suæ parenti, tribuerent rerum divinarum cognitionem & . tæ sanctimoniam.

Sed post hanc debacchationem, dignam Theologo Pontificio, i- terum ad rem redit Borcovius , & nihil me juvare, ait, istos publi- cos impietatis professores, cūm bi non semper extiterint, sed per inter- valla temporum alius alii successerit: ecclesia autem Dei semper esse de- beat. Sed nec ego simpliciter dixeram, semper eos extitisse, sed fere semper, ut ipsem etiam paulò antè Borcovius dixerat: nec verum est, ecclesiam veram semper esse debuisse, cūm nullo sacrarum lite- rarum testimonio, vel ratione inde deducta, id probari possit, vel sal- tem haecenus probatum sit, licet eam semper fuisse non simpliciter negemus. Dicimus enim, eatus etiam eam semper durasse dici pos- se, quatenus semper illi fuerunt, qui Christi nomen profitebantur, qui, etiamsi in multis erraverint, & Christo etiam non obedierint, ec- clesia tamen Christi appellari potuerunt.

Ad tertium denique nihil primùm directè respondet. Nec enim

Borcovii fastu

Pares Patribus  
Pontificiis aliis  
etiam fuere.

ostendit, quomodo non semper sint vera Christi ecclesia, qui ea docent, quæ sacris literis sunt consentanea, licet ad tempus esse cessaverint: sed iterum suam canit cantilenam, quod, quia desierint, ecclesia Christi esse nequeant. hanc enim perpetuò durare debuit. Quod dum facit, ineptus est. Id enim jactat, quod aliis etiam eodem iure competit, quo Romanae ecclesiæ: interim susque deque habet, respondere ad illa, quæ, si vera sunt, omnia evertunt, quæ ipse cum suis asserit. Nam qui idem cum sacris literis affirmant, quomodo non sine Christi ecclesia, etiam si nescio quomodo & quandiu interierint?

Ad id, quod dixeram, promissum de perpetua duratione ecclesiæ nullum esse, respondet, id tam esse falsum, quam quod falsissimum. Verba mitto, rationes exigo: *Lege, aie, quæ suprà à me allata sunt cap:4.* At ea sunt infirmissima imò fallitissima, ut lector, si ea perpendeat, animadvertiset. Addit ergo: & præterea veniat tibi in mentem illud Christi: *Ego vobis cum sum usque ad consummationem seculi.* At jam ad illud a me responsum fuerat. Vnde constat, in mente in mihi illud venisse. Qui promittit, le futurum cum suis perpetuò, is non promittit eos perpetuò futuros: sed quam diu futuri sunt, promittit, se nunquam illis defuturum. Hoc Borcovius, apertam scripturæ depravationem, cum aliter elevare non posset, appellat: Sed dum ita se gerit, magis nos in veritate confirmat. Hæc enim non cavillationibus, non convitionibus, sed argumentis gaudet. Conditionatè me Christum loquentem facere affirmat. Sed & id parum aptè. Ego enim Christum absolute præsentiam suam promittere fidelibus affirmo: nego autem ex eo, quod Christus absolute & simpliciter præsentiam suam perpetuam promittit, consequi, fideles ejus semper futuros, & fallacissimam hanc esse Pontificiorum argumentationem, dico. Christus promittit, se cum fidelibus semper futurum: Pontifici afferunt, fideles semper futuros. Hoc ut promittatur, impossibile est, cum ut suprà docui, & mox iterum docebo, religio sit spontanea, non necessaria: illud, ut promittatur, possibile & justissimum est.

Sed ut causa Borcovii speciosa esse videatur, blasphemiam etiam nobis affingit, qui dicimus, impossibile esse, ut promissum de perseverantia fidelium extet, quasi scilicet Deum impotentem faciamus. At hoc, est auram popularem & applausum imperitorum captare. Quasi vero ea, quæ naturâ suâ sunt impossibilia, Deum etiam facere posse, sit absurdum negare. Cur igitur rationem meam, quâ docui, impossibile esse, ut Deus id promiserit, non impugnavit, qui se Socium cum Theophilo impugnatrum promisit? Religio omnis spontanea

Quomodo Christus cum suis perpetuò se futurum promittat.

Cur impossibile sit extare promissum de perseverantia ecclesie,

rancia est. Ergo promitti nemini potest, eum in illa perseveraturum.  
Nam necessarium & voluntarium contraria sunt.

Sub finem cap: causas affert, quare ii, qui nostris, vel aliis, quia Papatu secesserunt, similes fuerant, defecerint, quia scilicet non fuerint ex Deo, additis locis: *Omnis planta, quam non plantavit Pater meus caelstis, eradicabitur; &, homines corrupti mente reprobi circa fidem non proficiunt.* & iterum addit: *Ista est causa vera, mi Theophile.* Sed, mi Borcovi, quomodo non agnoscis fallaciam consequentis manifestissimam in hac tua argumentatione? Ut enim eradicentur omnes & non proficiant, qui sunt falsi doctores: quomodo eos falsos doctores esse pronunciare poteris, qui eradicantur & non proficiunt? Nonne Deus permettere vel etiam procurare potest, ut ii tollantur, qui veritatis fuere confessores & defensores, quando hominum ingratitudinem graviter punire decrevit? Certè hoc futurum, & sacra littera testantur, & ipsa experientia comprobatur.

Non omnes, qui  
eradicantur, falso  
sunt doctores.

REFUTATIO CAPITIS VII. cui titulum fecit:  
*Falsum est, Ecclesiam Romanam, relieta fide, quam ab Apostolis accepereat, diversam ab ea mundo obtrusisse.*

**N**Os id affirmamus ob hanc potissimum causam, Quia & confessio & vita Romanae ecclesiae diversa sit a confessione & vita illa, quam ab Apostolis acceperat. Miedzibozius cum Borcovio postulant a nobis, ut tempus, quo hoc factum sit, indicemus: Ego, licet id præstare nec impossibile sit nec difficile: quia tamen non est necessarium ullo modo, illud tractare nolui. Nam si corrupta sit religio & vita, quomodo non est alia fides moderna ecclesiae Romanæ ab ea, quam ab Apostolis accepit? & quomodo non iterum committitur manifesta fallacia consequentis, etiamsi tandem tempus nominari nequeat, si propterea mutatio negetur, quia tempus ejus vel non indicetur, vel etiam ignoretur. Hæc summa re iest. Borcovius primùm a slute aliud quid, quod hoc non facit, adducit. Id autem est sol. 76, ubi, cùm ego docuissem, frustra urgeri durationem ecclesiae Romanæ, si ecclesia corrupta sit; corruptam autem esse docueram eo, quod religio & ritus ecclesiae Romanæ cum religione & viribus ecclesiae antiquæ Romanæ, qualis erat tempore Apostolorum, nihil commune haberet: & si Miedzibozius dicere velit, eandem esse hodie religionem, eosdem ritus, in ecclesia Romana, qui fuerint tempore Apostolorum, jubeo cum tabulas & testimonia proferre, hoc ita carpit.

Vnde corruptio  
ecclesiae agno-  
scenda.

carpit Borcovius. *V*is ut Miedzibozius probet, eandem esse nunc fidem in Ecclesia Romana, quæ fuit tempore Pauli, jubesque cum proferre tabulas & testimonia, quod certè ridiculum est. Nam proferre tabulas & testimonia, non est rei, sed accusatoris. *V*os estis accusatores, nos reorum partes sustinemus. Objicitis identidem, doctrinam apostolicam nobis immutatam esse, probatio ergo vobis incumbit, Miedzibozio autem, qui reus est, satis est id negare &c. Sed non animadvertisit Borcovius, me tunc a Miedzibozio petere probationem, quando eum, affirmantem aliquid, introduco. Hoc autem licere disputanti, nemo non intelligit, Non dico: si neget Miedzibozius, corruptam esse fidem a suis, esse illi tabulas & testimonia proferenda. hoc enim esset verè ridiculum: sed dico, si affirmet, eandem fuisse religionem, eosdem ritus ecclesiæ Romanæ tempore Pauli, quæ hodie est ecclesiæ Romanæ, illi incumbere hujus affirmationis probationem. Quod an rectè dictum sit, judicet iterum benevolus & prudens lector. Interim verò ex his Borcovii verbis libet hoc unum excerpere, quod aliquoties affirmat, se in hac causa reos esse, nos accusatores. Hoc enim evertit funditus id, quod suprà superciliosè nimis de se & sua ecclesia dixerat, eam esse judicem controversiarum. Nemo enim reus & judex simul esse potest. Deinde verò ad ipsam meam responsionem accedens, quam suprà repetii, nempe, satis esse ad demonstrandum corruptionem fidei, si fides moderna Romanæ ecclesiæ contraria sit fidei Romanæ ecclesiæ, qualis fuit tempore Pauli, etiamsi tempus & personæ, quando & a quibus id factum sit, nominari nequeat: quemadmodum satis est ad futrum demonstrandum, si alicui milte floreni sint revera erexit, etiamsi non constet, quando & a quonam erexit sint, ait: *I*ta tu in speciem, satis, ut tibi videtur, probabiliter: sed hisce fucis non effugies. Nam quero ego, quare de omnibus erroribus ab hereticis in ecclesiam in vectis, etiam minimis scimus, nempe à quonam & quo tempore profecti sint, tantorum autem errorum, quos in Romana ecclesia esse vultis, initium nescimus? Certè hujus rei causa est a vobis reddenda. Res mira: *V*nus minimus error latere non potuit, quin statim notaretur tempus, locus, persona, aliaque hujusmodi: sexcenti autem errores, quos in Papatu esse dicuntis, nescio quomodo ita introducti sunt, ut nec persona nec tempus nec aliae circumstantiae notari potuerint. *Q*uis hoc credat? Ita tu Borcovii luxuriaris verbis, sed rerum nihil est in hoc tuo discursu, dupliciti de causa. Nec enim nunc quæstio de eo instituta erat, an tempus & persona, quando & a quibus errores in ecclesiam introducti sint, notari queant necnè. Hoc enim, tanquam non necessarium, datâ operâ fuit a me prætermissum: sed quæstio est, an ex eo, qui a tempus & persona, quando

Quare probatio  
ab adversario  
petatur.

Ecclesia Roma-  
na cur non sit  
judex teste Bor-  
covio.

quando & a quibus res aliqua facta sit, ignorantur, colligi possit, rem ipsam etiam ignorari. Posse autem rem scihi, etiam si multæ ejus circumstantiæ ignorentur, nolo demonstrare, ne tempore abuti, & ingenio Borcovii diffidere videar. Is enim non potest non videre, rei aliquius veritatem aliunde etiam constare, præter istas circumstantias, nisi nunc causa ecclesiæ illum in transversum raperet. Deinde nihil magis est obvium, quam ad id respondere, quod querit Borcovius, si consideretur, penes eos, quos errores vel minimos conscripsisse ait, summa rerum tunc fuisse. Hinc enim factum est, ut quæ ad alios de-migrandos faciebant, conscriberent: quæ vero ipsimet mala designabant, omittent. Novumne est, in rebus etiam politicis, ea tantum conscribi, quæ illos, qui rerum potiuntur, non afficiant: quæ vero eos tangunt, alto silentio supprimi, & ita oblitterari, ac si nunquam extitissent?

Sed argumentatur amplius Borcovius, dum ait: *si quispiam modò novam aliquam doctrinam fabricare vellet, omnes qui recte de religione sentirent, sese opponerent, disputatione scriberent, refutarent, cœlum terramque moverent; ne peregrina fides Ecclesiæ obtruderetur: quando vero Papa tot errores, quod vultis vos, in Ecclesiam inducebat, nullus mutavit, nullus reclamavit? An omnes tunc veterno sopiti erant? si unus error facilè notari potuit, certè tam multi, quam multos esse vultis vos, longè facilius.* Sed ideo errores isti notati non erant, quia nulli fuerant: quicquid quacunque ætate credebant fideles in Ecclesia Romana, id sciebant ab aliis ante se creditum esse, usque dum perveniretur ad tempora Apostolorum, a quibus, quicquid in ecclesia crederetur, profectum esset. Ego vero idem respondeo, quod antea. Plurimos extare potuisse, qui, corruptionem illam invehiri, in ecclesiam dolebant, & tamen eos una cum scriptis oppressos fuisse. Cujus rei documentum est maximum, quod multorum eruditissimorum virorum, qui adversus pontificios vel potius errores illorum pugnârunt, vix nomina extant, scripta vero pro rorsus nulla. Nonne hodie etiam sunt perplurimi, qui contra ecclesiæ Pontificiæ placita multos conscriperunt & etiam num scribunt libros: & tamen in Italia, Hispania & alibi, ubi summa rerum penes Pontificios est, vix illa extare creditur, &, si (quod Deus avertat, & certè avertet) pontificalia religio iterum orbem hunc Europeum occuparet, omnia, quæ per hoc seculū a variis viris divinis scripta sunt, ita certè opprimerentur, ut non minus gloriarí deinde Borcovius de nostri seculi hominibus posset, atque nunc gloriatur de præteritis. Sed, præter hæc omnia, non pauca alia dixeram, quæ ad hoc triviale argumentum responderi possunt, quæ omnia more suo omisit Bor-

*Cur non extente  
co-scripta omnia,  
de corruptione  
veritatis.*

covius. Quid enim? An non, ut alia omittam, fieri potuit justo Dei iudicio, ut nemo tandem, Deo ita vel permittente vel procurante, moneret, nemo quicquā amplius scriberet, disputaret, aut moneret eos, qui volentes scientes in errores & flagitia varia ruebant? Solet enim Deus, cūm pœnas sumere de hominibus in gratia cogitat, omnes illis ad frugem redeundi occasiones p̄fescindere, ne moniti resipiscant, & ita supplicium divinum exitum suum sortiatur. Quod evenire debuisse populo Christi, testantur sacræ literæ.

Sed denique, ut aliquo modo satis faciamus Borcovio, qui mordicus exigit, ut doceamus, a quo Pontifice & quo tempore errores in ecclesiam introducti sunt, meminerit ejus, quod Eusebius ex Egesippo refert: Igitur ad ea usque tempora, virgo pura & incorrupta manus ecclesia, ius, qui sanum salutaris prædicationis Canonem corrumpere conati sunt, si tamen aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine ad id usque temporis delitescentibus: Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa p̄teruit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cepit, qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt. Iam si ab isto Apostolorum obitu (ut ipse etiam Apostolus ait,) corruptio cepit, quid putas subsecuto tempore factum fuisse, quo omnia impunè facere & fingere licuit? Videat igitur jam tandem, tum ipse Borcovius, tum alii omnes, ajiure calumniatores appellemur, qui docemus, corruptionem in Ecclesiam Christi introductam esse, quia religio mutata sit, quoad fidem & mores, etiamsi tempus ipsum & personas non nominemus, quæ tamen omnia nominare possemus, si res ipsa id exigeret, vel si potius ista omnia (ab aliis ante nos & a nobis ipsis) fusissimè demonstrata non essent.

Sed hoc omissio, tandem Borcovius argumentum meum petit, quod tale est: Errores multos in ecclesia Romana ostendi ex scriptura. Ergo in ecclesia Romana esse corruptionem in fide Apostolica. Respondet autem, At ego nego ullos esse errores nostros, aut eos ex scriptura ostendi posse. Explicitur scriptura, ut debent, quod ubi factum fuerit, nulli errores apparebunt. Hoc respondendum erat, Borcovi, ab initio, absq̄ite ista tergiversatione. Accipimus ergo sententiam: sed quærimus, quandonam Scripturæ explicitur, ut debent. Respondet Borcovius, Ecclesiæ antiquioris explicationem valere debere, non verò nostram. Ego vicissim ajo: nec nostram, nec ecclesiæ antiquioris. Vtraque

Euseb. 1:7. e:32.

Quando corrup-  
tio veritatis ce-  
perit.

1. Thess. 2. 6.  
A.D. 20. 29.

77  
traque enim fallax esse potest: vel doceat Borcovius aliquo testimonio vel idonea ratione, Ecclesiæ antiquioris explicatione standum esse, & nos statim manus dabimus. Rationem vero nos esse dicimus taliem: Principia religionis ut extent, de omnibus ad salutem & religionem absolute necessariis, necesse est. Quorsum enim essent sacrae literæ, si haec non continerent? Ad haec principia redigantur omnia, & justa erit explicatio. præter hanc nulla unquam justior & verior esse potest. Sed de hoc plura cap:9.

Otium autem & occasionem nauctus, abutitur iis Borcovius, dum ait, nos ea, quæ de idolis & gentium diis leguntur, de sanctis & eorum imaginibus interpretari: quæ de operibus legis Mosaicæ, hoc nos de omnibus operibus intelligi velle: *Quia unus sit magister, hinc nos colligere, Papam non esse magistrum in Ecclesia: quia unus sit Deus Mediator, non esse sanctos in vocando.* Quæ si vera sint, nec Paulum futurum magistrum, nec vivorum intercessione utendum, quod tamen utrumque alter se habeat. Indulgeamus & nos otio, quando ita nos Borcovius provocat. Ostendimus in defensione, & paulò antea breviter repetimus, quinam sit modus, quo sacræ literæ explicari debeant. Hunc refellat, si potest, Borcovius: quod eum facturum, planè desperamus. Nam aut is est, aut nullus est. Iam cum sanctoru& & imaginum cultum damnamus, ea verba Decalogi adducimus, quibus Deus, ne imaginem eorum, quæ sunt in cælis & in terra faciamus, aut cultum illis exhibeamus, præcipit. quæ sanè verba, nō ad Deos gentiu& solos, sed ad omnia quæ sunt in celo & in terra, referenda esse, nemo non videt? Quid enim dii gentium ad cælum pertinent? De operibus nunquam nos ita, ut ait Borcvi&, disseruimus: aliorum vero culpâ luere nō tenemus. Imò quia pera ad justificationem necessariò requiri urgemus, cum Pontificiis idem sentire credimur. Quanquam errant graviter & multipliciter, qui ita sentiunt, de quo nunc non est disputandi locus. In verbis enim tantum inter nos & Pontificios similitudo quædam est: in re vero ipsa grandis dissimilitudo. Papam non esse magistrum absolutum, qui leges hominibus præscribere queat tales, quæ conscientias illorum obligent, rectissimè ex eo inferatur, quia solus Christus est noster magister: Paulus vero privilegio ab ipso Christo donatus est, unà cum aliis Apostolis: *Qui vos audit, me audit.* Itaque, post Christum, pro magistro ipse etiam cum aliis Apostolis, imò pro fundamento ecclesiæ agnoscendus est. Quod si de se probârit Papa, nos dicto ejus protinus obedientes erimus. Quanquam non prorsus simpliciter, sed si id præcipiat, quod cum analogia Christi conveniat. Licet enim Apostoli olim certorum ciborum usum interdixerint: nemo tamen hodie id

Quis sit modus explicandi sacrae literas.

Objectiones Borcovii in justian

Quomodo cultus imaginum reprehendendus.

Opera ad justificationem necessariò pertinent.

Quare Papa non sit magister app solutus.

Cur Paulus pro magistro agnoscedus.

Quatenus App stoli audiendi.

Quomodo invoca-  
tio sanctorum  
erroris arguenda.

curat, & jure quidem. Carnalia enim, ut erant ista præcepta, sic et tamen ad tempus tantum durare debuerunt. Sanctos invocandos non esse, non ita probamus, quia unus sit mediator Christus. Ergo nec defendere istum modum tenemur. Docemus autem ita, quod non constet, eos nunc revera esse, nendum ut nostra cognita habere possint. Mortui enim sunt, & proinde non sunt. unde constat ineptissime hoc a Borcovio afferri exemplum virorum sanctorum. Hi enim ut sunt, ita etiam orare pro aliis possunt, de quo alias a nostris dictum est, & nuper in refutatione monstrorum a Smiglio Jesuita adversus nos confitorum, quæ jam publicè impressæ extat.

Mendacem me appellat, qui affirmat, Pontifices Romanos non semper fuisse, sed aliquot post Apostolos seculis demum extitisse. Egò verò uno verbo a mendacio me vindico. Per Pontificem eum intelligo, qui supra alios principatum sibi vendicat. Talem si Episcopum Romanum unà cum Ecclesia Romana semper fuisse asseverare perget Borcovius, Pontificii eum scriptores erroris accusabunt.

Pontifex Roma-  
nus non semper-  
talis fuit.

Causa Macho-  
metanismi.

Scargæ & alio-  
rum modus agen-  
di nobiscum.

Ioh: 5.

Machometi porrò, non Pontificios sed Arianos causam defensionis a Christo præbuuisse: ait, sed id non probat. Vtrosque autem causam homini audaculo ad tantam impietatem dedit, quis est qui non videat? Certabant invicem Homousiani & Ariani, ac si salus ipsa periclitaretur, & ita ecclesiam lacerabant, cum tamen fraternitatem collere possent & debuissent, ut literæ Imperatoris Constantini super ea re ad Arium & Alexandrum datæ, luculenter testantur. Quid igitur mirum est, glisceribus tantis odis inter professores Christiani nominis, tam foedam extitisse defectionem? Tam verò similes nos esse Machometanis, ut ovum ovo, rotundè quidem, sed non nisi calumniösè dicitur. Et Messias iste, quem jaetas, posthumus Scargæ, dignus est vestris officinis, & vobis, qui cum, quo argumenta, quæ proposueratis & defendere suscepératis, defenderetis, ulterius non habebatis, ad tales nærias, & triviales conviciationes delabimini, ut ita cordatis & piis constet, quid de vobis sentiendum sit, dum rem habetis cum adversariis. Nempe id quod de Domini Iesu adversariis. Il primum argumenta necabant: *Tu non es lux mundi, quia de te ipso testaris.* Audit solutione solida, cavillari cœperunt Dominum: *Tu dicis nos liberos futuros, & tamen nunquam servivimus.* Nam Patrem natum sumus Abrahamo, & Deum habemus Patrem. Dissoluta & hac cavillatione, ad convicia se convertunt: *Tu diabolum habes.* His repulsis, tandem ad cavillationes & minas configunt. Cœperat Scarga nos provocare ad certamen Theologicum: responsum est homini magis audaci quam sagaci: Declinavit directam conficationem, ex latere hosti insultavit;

vit: retulit & hic dignam sua insultatione responsionem. Tandem moriturus (si modo is autor est famosi istius libelli) cum de omni iusta responsione vel defensione desperasset, virulentas schedas post se reliquit, ut scilicet posteritati constaret, ipsum, quem vincere non poterat, mordere tamen & conspurcare ausum fuisse. Is igitur nos aliquid doceat, aut erroris convincat post mortem, qui vivus obmutuit? Pudeat potius vos, postquam Deus confessionem nostram tam commendatam multis esse voluit, ista non Theologis tantum, sed etiam honestis viris indigna, mundo ostentare.

De libello, cui  
titulas est, Metti-  
as.

### REFUTATIO CAPITIS VIII. cuius titulus est: *Non inveniri apud Anabaptistas salutarem doctrinam, & ex consequenti nec veram Christi Ecclesiam.*

**S**Alutarem doctrinam, quā cognitā, jam quis sit in ecclesia, vel non sops habeat, ut quānā vel apud quos ea sit, amplius investiget, nos quidem dicimus consistere in vero cultu Dei & Christi, & studio vere pietatis, praesertim verò charitatis; & quacunque doctrinā non permitunt hæc duo, eas, pro contrariis doctrinā salutari habendas esse, contendimus. Addo nunc, inter præcipua, quæ Deus in nostros cœtus beneficia contulit, hoc tantum non esse præcipuum, quod istud nobis cognitione esse voluerit. Ergo si Borcovius vel quis alius docere unquam poterit, nos aliquod dogma sequi, quod vel hæc duo, vel alterutrum illorum evertat, eum, nos doctrinam salutarem non habere, docuisse, libenter profitebimur. Tentat id Borcovius. Ait enim: *Cultum Deo debitum in hoc consistere, ut ille solus honore divino colatur: Nos vero gentilium more plures Deos inducere, eisque divinum tribuere honorem, qui scilicet undū cum Deo Patre, Christum, quem Deum naturā esse negamus, colamus.* At ego primū nego, cultum divinum in hoc consistere, ut solus Deus honore divino colatur simpliciter, sub novo Fœdere. Legimus enim Deum hodie velle, ut filius honoris fecit, sicut pater. Vnde necessariō efficitur, duos esse, qui sint divino honore afficiendi, Filium & Patrem, eisque ita diversos, ut alter ab altero judicium omne acceperit, ob quod ei honor ita debatur, ut Deo Patri. Deinde cavillus est, nos plures Deos inducere. Tantum enim unum Deum, non inducimus, sed cum Apostolo prædicamus, qui est Pater ille, ex quo omnia & nos in illum: Christum verò cum eodem Apostolo, unum Dominum esse dicimus, per quæ omnia, & nos per illum. Hunc autem Deum appellamus cum Divo Iohanne, Thoma & Paulo, ob divinitatem eamque veram & propriam,

Quæ sunt capita  
salutaris doctri-  
nae.

Non est cultus  
divinus in eo, ut  
solus Deus colat-  
tur, sub novo Fœ-  
dere.

Ioh: 5, 23.

Non coluntur  
plures Di in no-  
vo Fœdere, etiam  
Pater & Christus  
coluntur.

1. Cor: 8, 6.

Ioh: 1, 1.

Ioh: 20.

Rom: 9, 5.

Christi & Dei di-  
vinitas & cultus  
idem sunt certo  
modo.

2. Petri 1. 21.

Ioh: 32. 44.

Colere Deum cre-  
atorem, & filium  
creatoris, est ve-  
rus Christiano-  
rum cultus.

De loco Esaiæ 42.

Psal: 16. 10.

Cur nullum sit  
Christi meritum.

hac inter ipsum & patrem differentia adhibita, quod divinitas Patri naturaliter cōpetat, Christo verò ex gratia & dono Patris, certo tempore & certa de causa concessa. Porrò nō diversos Deos aut etiam diversam prorsus Deitatem illorum esse dicimus. Nam quæ Christi deitas est, Dei est, & a Deo originem habet: Imò certo modo eandem esse utriusque divinitatem affirmamus, & proinde unum eundemque utriusque cultum. Nam qui in Christum credit, & eum colit, is, ut D. Petrus loquitur, per ipsum in Deum credit, & eundem colit, vel, ut Christus ait, is non in Christum credit, & per consequens eum colit, sed Deum qui illum misit. Denique nulla in eo est Idolatria, si creatura, quam Deus divina potestate donavit, & coli præcepit, collatur divino cultu: sed ipissimum est Christianorum cultus, quem, qui nō intelligit, aut neglit, is Christiano nomine prorsus indignus est.

Dixit quidem Deus apud Esaiam, quod objicit Borcovius: *Gloria mea alteri non dabo: Sed etiam Petrus Apostolus ait: Deum (Pa- trem) dedisse Christo gloriam & honorem. Debēntē jam ob verba Esaiæ irrita esse verba Apostoli? Absit. sed sequenda sunt verba Apostoli. Is enim optimus est prophetæ interpres. Prophetæ autem verbis so- brius est querendus sensus. Is porrò est, quod per vocem alteri, is in- telligatur, qui Deo non sit subordinatus, sed contrarius. Id constat ex verbis apud prophetam mox sequentibus, quæ precedentium expli- catio censenda sunt: Nec laudem meam scuptilibus. Præterea si quis rem accuratiū consideret, non dixit Deus, semetipsum non datu- rum alteri gloriam suam, sed se non permisurum, ut ab alio detur gloria sua alteri. Vox enim dare, permettere interdum significat. De- niique non dedit Deus gloriam suam Christo. Gloria enim Dei est, es- se omnium rerum causam primam. Hanc autem nemini dedit, nec ip- si Iesu Christo. Dedit autem gloriam ejusdem generis, cuius ea est, quæ Dei est. Qua de re a nostris alibi disputatum est fuisissimè & soli- dissimè. Legat etiam responsonem ad Monstra Smigleiana, si velit, in qua non pauca ea de re dicta reperiet.*

Sed instat Borcovius, & nos Christo cultum non tribuere, alio modo probat, dum ait: *Este cultum Christi amplificare, affir- mare de eo, nihil illum morte & tantis cruciatibus suis nobis meru- isse, & addit: Apostolus ait, nos pretiosos sanguine Christi redemtos es- se, & tamen apud vos Anabaptistas hac omnia nihil valent. Ego verò ajo. Vitaliquid Christus, propriè loquendo, nobis mereretur, nec pol- sibile nec necesse fuisse. Nam aeterna morte moriendum illi fuisse, qui aliquid nobis mereri voluisset: Deus etiam peccata hominibus omnia clementer remissurum se promisit, si se ad eum converte- rent.*

rent. Quomodo igitur is gloriae Christi quicquam detrahere dici potest, qui affirmat, eum nihil nobis esse meritum? Redemtos nos esse Christi pretioso sanguine credimus, & gaudemus ex animo: sed redemptio absque merito esse non tantum potuit, verum etiam cum merito consistere non potuit. Nam & Deus nos redemit, vel redemtionem fecit, nec tamen quicquam meritus est. Valent igitur apud nos plurimum omnia, quae Scriptura sacra dicit de Christi mortis beneficiis: sed quae ecclesia Romana de illis sentit, ea apud nos nihil valere possunt, quia sacris literis contraria sunt. Sed esto, Christum meruisse. Num is Christum non potest cultu divino afficere, qui negat, eum morte sua nobis aliquid meritum esse, si credit, Christum pro peccatis nostris mortuum esse, & deinde exaltatum, in eternum vivere, & nos in omnibus necessitatibus juvare posse, & proinde eum & adoret & invocet? Videat igitur Borcovius, quae sit vis argumentationis ipsius.

Quod Budnæum & Franciscum Davidis nostræ sectæ homines appellant, in eo affectui potius indulgere, quam veritati patrocinari videtur. Illi enim cum nostris perpetua fuit pugna, & tandem etiam excommunicatus, diem suum obiit: Hic vero a nostris planè pro impius habitus fuit, & hodie nos pro fratre nostro neminem eorum agnoscimus, qui sententiam Francisci Davidis impiam sectetur vel defendat.

Nostrâ porro doctrinâ bona opera tolli, probat Borcovius: *Quia de animæ immortalitate dubitemus, & quod gravius est, quia negemus, animas impiorum resuscitandas.* Sed ad hæc respondeo: de animæ immortalitate nos nihil dubitare. Credimus enim cum scriptura, pulcherem redire ad terram, spiritum verò (qui idem est quod anima) redire ad Deum, qui illum dedit. Quanquam non video, quomodo is, qui credit, animas unâ cum corporibus olim resuscitandas esse, latam ad tollenda opera bona fenestram aperiat: Imò ad promovenda & commendanda illa, non parum hanc sententiam proficere, quivis per se perspicere potest. Animas impiorum non amplius resurrecturas, primum in epte dicitur. Nam quomodo non resurrectum id dici a nobis potest, quod mori non credimus? Deinde quis unquam hoc in libris nostris legit, vel ex nobis audivit? Si verò id, ut ait Borcovius, clam inter nos premimus, & in vulgus exire nolumus, quomodo studium pietatis in hominibus extinguere potest? Memorem oportuit esse dictorum suorum Borcovium. Denique etiamsi quis ita tandem sentiat, nondum tamen constat, quomodo studium pietatis hæc doctrina, vel opinio potius, enervare possit. Nonne enim restant metuenda

Redemptio non  
infert meritum.  
Lue: 1. 68.  
2. Pet: 2. 1.

Negatio meriti  
Christi, non tolle  
lit cultum Christi  
divinum.

Budnæus & Fran-  
ciscus Davidis  
quales fuerint.

*Quid de animæ  
sentiamus.*  
Eccl: 2. 7.

Opinio de animæ  
mortalitate non  
tollit pietatem.

*Quæ pietatem in  
hominibus conser-  
vent,*

enda Dei judicia, quæ singulis horis imminent impiis, quæ certè magis eos terrere possunt, quām futura? Nonnē restat metuenda rejectio a Dei facie in æternum? Nonnē denique studium pietatis in nobis conservare potest, vitæ æternæ amor, quæ potissima causa est omnis veræ pietatis? Quæ ita differo, non ut aliquid certi hac de re definiam, sed ut infirmitatem argumenti Borcovii tantò mcgis ostendam.

Firmum igitur manet, quia salutarem doctrinam habemus, nos Dei beneficio, Christi ecclesiam esse, & Miedzibozium graviter peccasse, qui per doctrinam salutarem, nos alios, tanquam stultas aves, in retia nostra impellere, dixerat. Quod dum defendis Borcovi, nihil quidem insperatum nobis accidit: interim tamen, erroris gravissimi patrocinium agere, te, & unâ cum Miedzibozio Spiritui sancto maledicere affirmamus, in promptu habentes, id, quod vos de doctrina salutari dicere non erubescitis, de ista vestra de ecclesia sententia, demonstrare. Hac enim verè oīnes, tanquam stultas aves in retia vestra compulsoī, unâ vobis cum æternū imperditis.

### REFUTATIO CAPITIS IX. cujus titulus est:

*Falsum esse, quod asserit Socinus, omnia ea, quæ in controversiam veniunt, collatis Scriptura locis, posse definiri.*

**A**ntiquum obtinet Borcoviū suū à cum Miedzibozio. Primum ait ab hac semper a fidelibus conservatam fuisse consuetudinem, ut, quoties aliquid de rebus fidei in controversiam veniret, tories ad Ecclesia iudicium confugerent, rati, spiritum sanctum nequaquam tunc ei defuturum. Hoc verò quomodo verum esse potest, cùm, præter unum Apostolorum concilium, vix ullum per aliquot secula habitum fuisse legatur? & tamen certum est, controversias multas de fide tunc etiam viguisse, & corruptiones introductas esse, ut suprà ex Egesippi dictis probavimus. Quas, quia de conciliis habitis nihil legimus, alia ratione, quām per concilia decisas fuisse, manifestè constat. Deinde esto, semper istam fuisse observatam consuetudinem, nunc hinc sequitur, modum, quem nos asserimus, decidendi controversias per collationes scripturarum esse fallacem? Nihil minus. Docueram enim, Concilia non posse vel saltem non debere esse contraria collationi scripturarum: & si aliter concilia cogantur, vel etiam decidantur, maledicta fore, vel saltem talia, quorum decreta neminem obligare debeant, dixeram. Frustra igitur Borcoviū, ac si nos concilia rejiciamus, & contrarium aliquid illis obtrudamus, ita in nos invehitur, dum ait, nos dicere: nihil ecclesiā aut conciliis opus esse. Qua sua oratione dum scilicet

Concilia & collationes scripturarum non sunt contraria.

*Falsa Borcoviū  
primitio.*

Scilicet solis conciliis absque collatione scripturam standum esse ait, prodit se & suos, quod scilicet velint, conciliorum & ecclesiæ autoritatē ratam esse, etiamsi, quod ea decernunt, sacrarum literarum testimoniis non comprobent, quo nihil iniquius & magis impium ex cogitari potest. Solis enim Apostolis fanta Spiritus sancti contigerat ubertas, ut errare in religionis dogmatibus decernendis non possent: reliqui omnes, normam ab Apostolis præscriptam sectari tenentur.

At ait Borcovius: *Christus promisit, sed datum spiritum sanctum, qui fideles suos in omnem deducturus esset veritatem. Ego vero nego, Christum isto in loco spiritum sanctum fidelibus aliis promisisse, præter solos Apostolos. Illis enim promittit spiritum sanctum, qui eos in omnem veritatem deducturum esset, de quibus in proximiè præcedentibus dixerat: Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò, quæ sunt oppositio sequentium. Hi autem soli erant Apostoli. Præterea ipsa ratio docet, omnem veritatem, nempe salutem, (de hac enim sermonem esse, præter ipsum contextum, articulus etiam, voci veritatis in Græco additus, indicat), per solos Apostolos mundo revelandam fuisse, nisi omnium, quæ sub sole sunt, doctrinarum incertissimam esse dicere velimus, Evangelium Iesu Christi. Apostoli enim soli fundamentum fuerunt ecclesiæ Iesu Christi, adeo ut ne illis quidem, qui tempore Apostolorum vixerunt, & proximi illis fuerunt, quicquam, ad corpus religionis Christianæ constituendum, addere licuerit. Prophetarum enim (quos suo modo Paulus etiam fundamentum facit Christi ecclesiæ cum Apostolis) dicta examinari præcipit, & ne onni spiritui credant fideles, graviter monet. Reliqui vero, Evangelistæ scilicet & pastores ex præscripto Apostolico ecclesiæ regere tenebantur, ut exempla Timothei & Titi luculenter docent. Iam si illis tantis viris nihil præterea, quæ ab Apostoliis præscripta illis erant, Christi populo tradere licebat, quomodo aliis, quos istis multò inferiores esse res ipsa testatur, tanta, in imperando populo Christi licentia concedatur?*

Affert deinde ad probationem ejus, quod dixerat, ad concilia i. eum esse antiquitus in decidendis controversiis, concilium Apostolorum. Hic ego docuerā, concilium illud Hierosolymitanum injustè conferri cum aliis, quæ ecclesia Romana jactat. In illo enim præsedisse Apostolos, qui errare non poterant in rebus ad religionem pertinentibus: in his præsedisse vel Imperatorem, vel homines variis erroribus obnoxios. In illo non articulos fidei cūsos, sed res naturā suā indifferentes, ad certum tempus præceptas fuisse fidelibus: in his novos subinde articulos fidei cūsos fuisse. In illo, bene facturos eos, ad

Ioh: 16

Solis Apostolis  
veritas omnipre-  
sefacta est.Ephes: 2. 10;  
1. Thess: 5. 17, 20;  
1. Ioh: 4. 1.

Differentia concilii Hierosolymitanii ab aliis.

quos decretum concilii deferendum erat, dici, si illud observaverint: in his fulmine anathematis, omnes, qui vel latum unguem a placitis illorum recedant, percuti, & ubi nihil aliud obstat, vitâ & bonis privari. Ad hæc omnia connivet Borcovius.

Nunc addo hoc, non mirum esse, si tempore Apostolorum ad concilium itum fuit. tunc enim persuasum erat omnibus, tales futuros concilii praesides, qui errare non possent, in rebus ad religionem pertinentibus: Postea vero, quia tales praesides esse desierunt, quis non videt, tutum non esse, concilia cogere eo fine, ut controversiae sola autoritate humana decidantur? sed neceesse fuisse, & etiam num esse, ut omnia siant per collationes scripturarum, & ut eorum sententia obtineat, quæ vel cum scripturis convenit, vel ad illas quam proxime accedit?

Sed non admittendum esse, quod cupimus, ait Borcovius, & docet cum Miedzibozio hoc modo: Näm hac collatione erratur sapientia, ut exempla Lutheranorum, Calvinistarum, & Anabaptistarum, quorum singuli scripturas proferunt, & tamen non convenient, docent. idque deinde ita repetit: Quid aptum tu medium existimas, per quod aut nunquam aut raro admodum finis obtineri queat? Evidem de bonitate mundi ex fine judicandum est: ne eatenus sit utile vel inutile, quatenus conductit ad finem obtainendum: quod si tale sit, ut nulla ratione serviat ad finem consequendum, id ineptum & inutile censi debeat. Talis est autem hæc tua locorum collatio, &c. Ad hoc ego prolixè responderam antea non pauca, quæ Borcovius omittit. Repeto nunc pauca: Primum negotio, ex eo, quod in collatione scripturarum sapientia erretur, & quod interdum ad finem non perducatur res per hoc medium, consequi, medium hoc esse falsum. Non omni enim collationi scripturarum id tribuendum est, sed rectæ. Recta autem collatio quæ sit, ostendimus ita, ut nemo fanæ mentis eam repudiare possit. Investiganda sunt de unoquoque articulo fidei religionis, loca clarissima, quæ Deum extare voluisse certissimum est, siquidem ad omnium caput comparata esse ea, quæ ad salutem requiruntur simpliciter, neceesse est. Hæc loca clarissima, sunt habenda pro principiis. His contrarium admittendum nihil. Nam principia tolli non possunt unquam; sed, si quid principiis repugnare videtur, illius talis querenda est interpretatio, quæ principia illa & loca clarissima non everat. Hujusmodi collatio, quia negligitur, hinc sit, ut effectus etiam non consequatur. Deinde dico, satis esse, si non nunquam ad istum eveniendum isto medio pervenatur. Nam hinc constat, non vitio mundi fieri, quod interdum finis non consequatur, sed aitis accidentibus, quibus re-

*Non omnis collatio literarum scriptarum est medium consequendi veritatem.*

*Quæ sit recta collatio.*

bus remotis, medium illud semper finem suum sortietur. Et quid argumentis opus est, ubi experientia ipsa pro nobis loquitur? Nonne enim dimidium orbis Christiani in Europa, hoc ipso medio, asecuta est eam rerum divinarum ad salutem necessiarum scientiam, quæ nullis Pontificiorum sophismatibus obscurari potest? Porro dico, si adhuc durent inter illos ipsos, qui a Papatu secesserunt, quædam controversia de quibusd. m. rebus ad religionem pertinentibus, hoc ideo fieri, quia medio hoc scripturas conferendi, quidam non sint contenti, sed prater illud alia quædam, autoritates scilicet doctrinam veterum quâm recentiorum assunt, quæ autoritates si removerentur, & sola scripturæ collationes valererent, statim appareret, quid sequendum in unaquaque controversia esset. Quod dum ob causas varias, quas in defensione mea annotaveram, nondum sit, dolendum quidem est: sed tamen nec modus iste longè divinissimus veritatem inquirendi deserendus est, nec desperandum omnino, futurum tandem, quod haec tenus nondum sit, praesertim, cum illæsa salute istæ dissensiones durare in Christi ecclesia possint. Videat autem, quæso, ipse Borcovi<sup>o</sup>, an aliquid populo Christi dignius hoc agendi modo excogitari possit: & an modus, quem ipse commendat, cum hoc conferendus sit? Scriptura m. enim sacram esse verissimam & infallibilem, nemo unquam Christianorum negavit: Ecclesia vero errare non posse, falsum est, vel saltem cōtroversum admodum. Quæ igitur amentia est, confugere ad tale judicium, quod ipsummet autoritate aliena nititur, relicto judicio ejus, quod per se autoritatem sibi conciliat? Si dicas, ecclesiam definire posse omnia semper: Scripturas non item. Respondebo, vel omnia a scriptura definiti posse, si removeantur alia, quæ ad eam assuntur, ut suprà ostendimus: vel non opus esse, ut omnia definiantur. Satis enim est ea cognosci, quæ ad salutem necessaria sunt simpliciter, quod non potest non cognosci ab illis, qui vel semel sacras literas legerint. Ecclesiam vero dico, vel decidere recte non posse omnia, quia potest errare: vel, etiam si omnia decidat pro suo libitu, tamen hac ratione errores non tolli aet controversias, sed tantum vim inferri conscientiis. Interim vero is, qui aliud sentit, quâm ecclesia, non acquiescat unquam, nec convetus esse dici potest. Vnde in ipsa etiam Romana ecclesia videmus, quædam ita indecisa pendere, quia scilicet ad salutem necessariò non pertineant. Quod idem, si in aliis multis, quæ necessaria ad salutem censet Romana ecclesia, revera autem non sunt, fieret, jam habemus, quod cupimus.

Collationis serio-  
peaturum usus.

Quid ob sit in  
collatione.

Collatio sacre  
scripturae, præstas  
ecclesiæ judicio.

Sed in istat Borcovijs & dicit, nos non obscurioribus lucem afferre  
per clam

per clariora, sed hoc unum contendere, ut apertissima scripturae loca difficilioribus obscurare possimus, idque exemplo uno, nempe verborum Christi de cena, Hoc est corpus meum, probat. At hoc est a proposito alienum. Prius enim conveniat inter nos, an hic modus investigandi controversias, sit legitimus necne? deinde vero doceatur, nos modum illum non observare. Alioquin, praeposterè rem agi, cæcus videre poterit. Sed quia ita accusamur a Borcovio, purgationi nostræ locum esse credimus. Ait ergo: Quid potest esse apertius illis Christi verbis, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Vos vero illa, per istos loquendi modos, Agnus est Phasæ, Petra erat Christus, interpretamini, quod nihil est, quam relicta luce tenebras querere & veritatem agnoscerem nolle. Sed non attendit, quid dicat, Borcovius. Nihil apertius esse ait his verbis Christi. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Cum tamen res aliter loquatur. Nam præter ea, quæ hodie ab aliis dicuntur de illis verbis, ipsi etiam Pontificii negare non possunt, verba illa esse obscura & intellectu difficilia. Quomodo enim dici potest, panem, quem tunc Christus porrigit, cum verba illa diceret, fuisse corpus ipsius, quod dandum erat, nempe in mortem, propriè loquendo, cum Christus ad mensam assideret, quando panem porrigit, & proinde nulla mutatio Apostolis apparuit, vel apparere potuit? Nunc etiam, cum panis porrigitur, panis semper appetit, corpus vero Christi nemo unquam vidit? Ut taceam, corpus, quod pro nobis datum fuit, ut etiam sanguinem, nunc nullum esse. Christus enim, qui corpus olim suum & sanguinem pro nobis tradidit, factus est in Spiritum vivificantem, ut Apostolus loquitur, hoc est Spiritus vivificans. Christi denique carnis comedio & sanguinis bibitio realis, nihil nobis nec ad pietatem nec ad salutem prodesse posset, etiamsi tandem daretur. Dum haec & alia non pauca dicuntur a nobis, quam multa vobis in contrarium dicenda sunt, quæ ingentem obscuritatem verbis Christi subesse demonstrant, ut tandem dicturi sitis procul dubio, non ratione ista esse metienda, sed fide apprehendenda. Sed haec discipula neminem nostrum post hac capietis. Nihil enim esse in universa fide Christiana, quod rationi rectæ adversetur, jam didicimus, & vestri etiam non disfitentur. Quoniam igitur constat, verba Christi esse obscura, non clarissima, qualia esse oportet principia, ex quibus interpretatio sacrarum literarum colligi debet, principia ad hanc rem pertinentia conquirenda primùm sunt, & illis firmisstantibus, sobria verbis, quæ diversum suadere videntur, explicatio accommodanda est. Sunt autem in hac materia principia, quæ sequimur: Literæ sacræ testantur Iesum Christum, qui corpus suum & sanguinem pro nobis olim tradi-

Verba Christi,  
Hoc est corpus  
meum, non esse  
aperta.

8. Cor: 13. 45.

Vnde sensus verborum Christi,  
Hoc est corpus meum, colligen-  
dus.

tradidit, in cœlos ascendisse, Spiritum vivificantem factum esse, & ibidem mansurum usque ad instaurationem omnium, vel ad iudicium vivorum & mortuorum. Sic enim omnes credimus, edocti sacris literis, & ipso Symbolo, quod vocant, Apostolico. Hoc firmo stante, fieri nequit, ut Christus carnem & sanguinem nobis det hodie, propriè manducandum & bibendum. Itaque verbis illis adhibenda est sobria interpretatio, quæ talis est, *hoc*, id est, hæc actio frangendi & comedendi panem, quam vobis nunc præcipio, est *Corpus meum*, id est, est vel futura erit commémoratio corporis mei, quod pro vobis in mortem traditus sum. Hanc explicationem comprobat Christus dum ait: *Hoc*, nempe quod ego nunc facio & præcipio, facite scilicet etiæ imposterum vos etiam, in *mei commemorationem*. Hanc calculo suo Paulus confirmat, dum sic ait: *Quotiescumque comedieritis hunc panem, & de poculo hoc biberitis, mortem illam Domini annunciatis* (sic enim habet textus Græcus) donec veniat. Potuitne explicatio inventari ad rem accommodior verborum Christi, atque hæc est, quam Paulus ipse, post recitata Christi super cœnam ipsius verba, addit? Hæc explicatione denique loci similes ostenduntur ex sacris literis, quorum unus isque præcipuus est, quodd actio etiam comedendi agnum Paschalem, modo inusitato, Phase Domini appelletur. quia scilicet ista insolita e jesus comedatio esset commémoratio transitus illius Domini, quo peperceraat Israelitis, interimendo omnia Ægypti primogenita.

De quo loco, cum me interrogat Borcovius, ubinam in Scriptura reperiatur, respondeo, eum reperiri in isto loco, quem ipsem et annotavit. Ibi enim, postquam Deus præcepisset, quomodo agnum illum comedere deberent, addit hæc verba: *Etenim phase Domini, hoc est, actio illa inusitata, ideo vobis præcipitur, quia est adumbratio vel commémoratio futura transitus Domini in Ægypto, ut infrà v. 27. inferum ita explicatur*, ut ovum ovo similius esse nequeat, quam est hæc locutio legalis locutioni Domini Iesu de cœna sua. Et valde credibile est, Christum tali loquendi modo improposito ad institutionem cœna sua usum esse, quali tunc, cum cœnam instituere, uti solebant de agno Paschali Apostoli, ut tantò facilius istum modū loquendi de cœna Domini intelligerent, quanto rectius antiquitus loquendi modū de agno Paschali intelligebant. Antea dixerant de cœna illa agni paschali: *Hoc est phase Domini: Im posterum de cœna Christi dicuerant: Hoc est corpus, hoc est sanguis Domini nostri.*

Quod vero Zwinglium exagitat Borcovius, qui sibi ab aliquo genio hunc locum suggestum esse per quietem, & simul albusne an ater fuerit

*1. Cor: 11. 43.  
Act: 3. 21.*

*De loco Exod: 12. 3*

*Cur Christus de  
cena sua dixerit  
Hoc est corpus  
meum.*

*Petulantia Bor-  
covii in exagi-  
tando Zwinglio.*

fuerit, se non recordari candidè, ut puto, dixerit, in eo morem gerit ingenio Pontificio. Hoc enim ita captat dicta adversariorum, ut exiguum argumentorum rationem plerunque habeat, & jam, se justas causas repudiandi veritatem habere, sentiat, si aliquid, quod per speciem carpi possit, in virorum divinorum factis reperiatur. Cujus rei documentum est inter alia, Apologia illa famosa Wargocii, Sed si secum habitarent Pontificii, agnoscerent, permulta esse, quæ jure in ipso rum patribus reprehendi possent, si quis genio indulgere, & alienos defectus detegere velit. In Zwinglio equidem sumnum candorem semper admiratus sum, quando illud dixit. Facile enim divinare poterat vir magnus, hoc ita a malevolis in pessimam partem raptum iris & tamen id, quod res erat, dicere, quam aliquid fingere maluit. Pontificiorum verò & Borcovii petulantiam non possum improbare & detestari, qui ita verba viri istius accipiunt, acsi confessus esset, sibi ab atro genio ea suggesta fuisse. Sic enim ait Borcovius: *A talibus vos auctoribus scriptura explicationem & locorum collationem discitis. cum tamen pueri videant, fieri potuisse, ut esset albus iste genius. Quemadmodum ex eo, quod Paulus ait, se nescire, an in corpore an extra corpus raptus fuerit in paradisum, colligi potest, id tam in corpore quam extra corpus fieri potuisse. Iam si albus genius bonus est, a bono genio locum illum Zwinglio suppeditatum fuisse, & proinde ad rem accommodatissimum esse, tam firmiter ego colligere possum, quam firmiter ex atro genio falsitatem ejus colligit Borcovius. Sed missis illis tantum non scurrilibus cavillationibus, alia videamus.*

Inseruit hic Borcovius aliquid, quo gravissimum Miedzibozii errorem excusare voluit, quem c. 2. ego prolixè indicaram. Sed frustra. Primum ait, Respondentes aliquando argumentari solere. Sed hoc est aliud ab eo, quod ego Miedzibozio objicio. Non nego respondentem interdum argumentari solere: sed vitium esse ajo, si quis eum, qui respondet, pro argumentante inducat. Deinde ait, spectasse Miedzibozium, quid nostræ farinæ homines communiter dicere soleant, qui ex eo, quod ecclesia errare possit, sententiam illius in rebus fidei definiendis certam esse non posse, contendant. Sed dicere, quid alii sentiant, quando cum certo quodam res est, non est respondere illi, cum quo tibi res est. Itaque non excusavit Miedzidozium Borcovius.

Concilia porrò sua reprehendi agrè fert Borcovius: interim tamen gratias agit, quod fatear, in illis jam cultum imaginum, invocationem sanctorum, sacrificium missæ & alia hujusmodi viguisse, quod alii qui a Papatu secesserunt, negent. Sed primum verba mea integra

Zwinglii candor.

¶ Cor: 12. 2, 3.

Male Miedzibozium defendet Borcovius.

tegra non apposuit. Dico enim: *aut jam viguisse aut incepisse vigeret ista, quæ enarrantur.* Quod si alii non agnoscunt, id sit ideo, quia confessionem suam ex illis etiam conciliis petant, quam ex sola sacra scriptura petere debebant. Parum autem est in eo beneficii, si quis errores istos tam diu durasse agnoscat in ecclesia Romana. Nonne enim multa ipso Apostolorum tempore jam cæperant, quæ corruptiōnis universalis securitate essent indicia? Iam quodd ex eo infert, si tam diu durarunt ista omnia, ergo sunt Apostolica, id quam frivolum sit, ex iis, quæ modò diximus, apparēt. Fuerunt enim quædam scelerata & errata ipso Apostolorum tempore, & tamen, Apostolica ea fuisse, quis sanæ mentis dixerit. Apostolica autem esse, cultum imaginum, invocationem sanctorum, sacrificium Missæ & alia hujusmodi, nihil aliud quam desperatio & obstinatio affirmare jubet. Cùm enim nullum istarum opinionum in scriptis Apostolorum vestigium extet, imò his contraria ex scriptis illorum excerpti possint, qua fronte pro Apostolicis ea obtruduntur, quæ vanorum hominum irreligiosa sunt commenta?

Fidem, quam vos Pontificiū profitemini, novam semiram esse dicēram, sed non simpliciter, addidi enim hæc verba, *si cum Apostolica conferatur: imò aperte dico, vestram istam semitam, respectu nostræ, quam nunc sequimur, esse veterem,* ut pote quæ per non pauca secula duraverit. Itaque non ego, qui id dico, ridiculus sum, sed Borcovius, qui partem verborum meorum dissimulat, parum candidus est.

Frigide porro excusatur Miedzibozius, qui ait, in prima ecclesia s̄epe itum esse ad concilia. Nam in prima Apostolica ecclesia semel tantum ad concilium itum est, quod quidem nos sciamus: Reliqua verò secula, quibus s̄epe itum esse ait ad concilia, nimis impropriè prima appellantur. aliquot enim secula jam elapsa erant, cùm ea, quæ nunc jactantur maximè, celebrata fuere. Ignoratio tamen facile, quod jubet Miedzibozius.

Sed me iterum pungit Borcovius, qui solos Apostolos veram Christi ecclesiam constituam, illam vero, quæ proximè secuta est, alteram esse velim & diversam, & ait, *Quasi Christus pro solis Apostolis passus sit, & illorum morte Ecclesiam suam terminari voluerit.* Huic autem apponit verba Christi. *Ego vobis sum usque ad consummatiōnem seculi, & tandem indignabundus, egregie futurum fuisse, ait, si statim post tempora Apostolorum in varios errores fideles prolapsi fuisserit.* Ad quæ hæc habeat. Veram Christi ecclesiam, non solos Apostolos ego intelligo, sed omnes quicunque doctrinam Apostolicam levantur, maxime vero, qui ei obediunt. Apostolos solo esse dico, quorum

Antiquitas errorum non defensum.

Quo sensu nova semita sit fides Pontificia.

In ecclesia Apostolica non fuerit multa concilia.

Terminos maius Borcovius.

quorum autoritate in rebus ad religionem pertinentibus standum sit, & præter eos, nullius alterius hominis, vel etiam ecclesiæ, quantumvis Apostolicæ, nedum illi, quæ successione tantum Apostolica esse gaudet. Pro omnibus Christus mortuus est: sed non omnes, pro quibus mortuus est, pares sunt, & ita audiendi, ut Apostoli. Ecclesiam suam morte Apostolorum Christus terminari noluit. voluit enim, ut omnes essent veritati, quam cœlitus attulerat, perpetuè obsequentiissimi: Sed quia tanta erat hominum perversitas, ut nollent Evangelio, quod omnibus humanis commodis nos spoliat, & sola immortalitatis spe contentos nos esse, cum tenui rerum hujus seculi possessione, jubet, parere, permisit, ut eò fuerent homines, quò tendebant, idq; non tantum post discessionē Apostolorum, ut Scriptura loquitur, verū etiam ipsis adhuc viventibus. Interim illis, qui ipsi adhærebat, semper adfuit ubique locorum, & adfuturus est ubiunque futuri sunt, Christus, ita, ut primis Apostolis adfuit, qui verborum ex Matthæo allegatorum verus sensus est. Dicat igitur, egregium fuisse vel non, Borcovius, si statim post tempora Apostolorum in varios errores fideles prolapsi sint, & si id Scripturæ testetur, certè, quantumvis mirum sit, verum tamen esse necesse est. Nec is mendacem Christum facit, aut de providentia ejus impiè sentit, qui Christum ibi tantum futurum ait, ubi se futurum promisit: sed is, quid dicat, non attendit, qui ita cœcus fertur ad quævis prænuncianda, quæ semel concepta opinioni de ecclesiæ duratione favere autumat, interim verò generationi & Sacris literis sunt contraria quam maximè. Et haec tenus de ecclesia. Videamus etiam de missione Ministrorum.

### REFUTATIO CAPITIS X. cui titulum fecit,

*Prædicantes Evangelicorum & Anabaptistarum a nullo missos esse, & ideo Ministros verbi Dei esse non posse.*

**N**os, quos Anabaptistas injuriâ appellat Borcovi<sup>o</sup>, in hoc argumento Borcovii consequentiâ potissimum negamus: alii assumptionem. Cumaliis igitur alio modo agat: nobiscū ita, ut nos argumentū impugnamus. Doceat, neminem Ministrum verbi Dei esse posse, nisi missus sit ab aliquo: & vicerit. Hoc antequam aggrediatur, quædam parerga attingit, ad quæ etiam nos παρέπομεν aliiquid respondebimus. Concedimus nos sponte nostra, ministros, qui a Papatu recesserunt, non esse Prophetas aut Apostolos, quippe qui errare possint, quod in Prophetas & Apostolos non cadit. Hanc nostram concessionem cum Miedzibozio Borcovius, ac si illis faveret, arripiunt, &

A& 20.29.  
P. Theffl. 2. 7.

unt, & addunt, *imò re ipsa nos errare*. Nudè Miedzibozius dixerat, id constare ex antiquis hæresibus a nobis excitatis. Responderam ego, hoc esse principium petere & nugari. Borcovius ergo defensor Miedzibozii, illud modo probat: *Nam cum Simone Mago opera bona à justificatione excluderunt: (nempe ministri nostri) cum Manichæo, liberum arbitrium sustulerunt: cum Florino, Deum causam peccati fecerunt, & addit, se loqui de omnibus ministris a quacunque tandem secta sint. At hæc probatio duplex habet vitium. Nam nec protinus hæresis est, quod pro hæresi habitum est olim & nunc habetur: nec ea, quæ hic recentur, Borcovius, ad omnes eos pertinent, qui a Papatu secesserunt. Nostrī enim cœtus & alii etiam, nec opera bona a justificatione excludunt, nec liberum arbitrium negant: Deum verò causam peccati facere, summum scelus judicant. Quid igitur valent ista otiosa Borcovii verba? Deinde ait, me impudenter facere, qui principium petia Miedzibozio dicam: & ait: *Certè constat ista, quæ commemoravi, pro hæresibus ab omni antiquitate habita esse, & primos eorum autores, tum propter alia, tum maximè propter hosce errores hæreticos fuisse appellatos. Sed quæritur, an jure sint habiti. Non omnis enim, qui errat aliqua in re, protinus est hæreticus, sed is solum hæreticus habendus est, ut antea etiam diximus, qui talem vel tales sequitur sententias, quæ fidem in Christum tollunt. Posset autem aliquis, certo respectu bona opera a justificatione excludere, quatenus non agnosceret, ea esse causam justificationis efficientem ullam: interim tamen ea ad salutem consequendam suo modo requiri, statuere, qui error licet gravis & periculosus esset, non tamen propterea a Christie ecclesia is, qui eum sectaretur, rejiciendus esset ulla ratione. Posset etiam aliquis liberum arbitrium negare, locis quibusdam scripturæ male intellectis adductus: interim tamen statuere, hominem posse, nempe alio modo, in Christum credere, & eidem obedire, & sic error iste refutandus, ipse verò erroris defensor tolerandus esset. Denique si quis directè diceret, Deum esse causam peccati, & in eo perseveraret, præculdubio pro hæretico habendus, & vitandus omnino esset: at si id non diceret, nec pro eo, qui id diceret, haberet vellet, imò se ita sentire pernegaret: interim verò ex sententia, quam sectetur, id consequeretur, graviter is quidem admonendus esset, ne in tali errore perseveret, pro hæretico tamen habendus non esset, si neget, se intelligere, id ex sua sententia sequi, & quod maximum est, si in Christum verè credit, & eidem obediatur. Itaque etiamsi constet, nos omnes qui a Papatu recessimus, in talibus errare: (quod de quibusdam tantum dici potest) nihil hoc contra nos faceret, qui confitemur, nos errare possit,**

Quis hæreticus.

Non omnis error  
hæresis est.

posse, nisi doceatur, errores illos tales esse, qui fidem in Iesum Christum, sine qua salus nulla est, tollant, quod fieri non posse persuasissimum nobis est. Deinde, ut antea dixi, nihil hoc totum contra Socium & nos nominatum facit. Sumus enim ab ipsis erroribus omnes alienissimi, & eos etiam reprehendimus, ut Borcovius: licet pro heretico propterea neminem habeamus, si, ut fieri potest, per ea fides in Christum & obedientia illi debita non tollatur.

Denique mihi objicit, quod principium petam, dum dico, eos, qui a Papatu discesserunt, Apostolicam doctrinam profiteri. Se enim cum suis id negare, immo nobis objicere, quod per speciem doctrinae apostolice hominibus ea obtrudamus, quae nunquam in Christi ecclesia audita sint. At ego ajo, primum Borcovium hoc ipso Miedzibozium accusare. Nam si hoc est verè principium petere, pro certo, id, de quo inter partes controversia est, ponere, ut ait Borcovius, quomodo Miedzibozius principium non petiit, cum probaturus, nos errare, satis habuit dicere, ut patet ex antiquis heresibus ab eis excitatis? Certè enim, dum hoc dicit Miedzibozius, ponit pro certo id, de quo inter nos & vos controvertitur. Deinde nego id esse principium petere, quod ego facio. Principii enim petitio tunc potissimum committitur, quando quis probaturus aliquid, affert æquè incertum, atque illud est, quod probandum erat. At ego hinc nihil probo: Sed nudè tantum affero contrarium eis, quod affirmat Miedzibozius. Quod verissimum esse negari non potest. Nihil enim aliud omnes, qui a Papatu recessimus, profitemur, quam doctrinam Apostolicam, & ex ea omnia dogmata nostra probare nitimus. An vero rectè hoc faciamus, hæc alia quæstio est.

Porrò cum ministros non esse Apostolos, probare vellet Miedzibozius eo, quod nullus propheta Witeberga prodierit, responderam ego, Ministros ipsos hoc non postulare, ut pro Apostolis habentur. Frustra igitur dici, eos pro talibus a Miedzibozio non haberi. Dixeram etiam, nuspian legi Româ prodituros Apostolos, & tamcir quotidie, eos inde prodire. Addideram denique, non ad locum alliganda esse divina dona. Ad hæc respondet Borcovius, Nuspian quidem legi, Româ Apostolos prodituros: legi tamen, Ierosolymis fieri debuisse, ab hac civitate profectos Petrum & Paulum in urbe Roma ecclesiam Christi constituisse, unde Romana ecclesia sit Apostolica, non item Witebergica, quæ ad nullum Apostolum originem suum referre possit. Ego vero iterum dico. Ipse met Borcovius fatetur, nuspian legi Româ prodituros Apostolos. Quomodo igitur me reprehendere potest, qui id affirmem? Nec juvat quicquam, quod ait, Petrum & Paulum Romanam

Quando principium petatur,

Scipsum refutat Borcovius.

nam ecclesiam constituisse. Primum enim hoc nusquam legitur in sacris literis. De hujus autem modi lectione sermo nunc est. Deinde etiam si Petrus & Paulus Romæ ecclesiam constituisserint, num sequetur inde, quod Româ prodierint? Minime. Tantum enim hinc patet, quod Roma fuerint. Prodire autem alicunde, est, mitti inde ad Apostolatum, ut de Ierosolymis suprà docuerat Borcovius. Iam si ex eo, quod Apostoli alicubi fuerunt, & ecclesiam ibi constituerunt, colligere licet, inde Apostolos prodire posse vel prodire, ex pluribus locis prodeentes Apostolos habebimus, quam ex una Roma. Cum certum sit, in pluribus locis ipsum Paulum & fortasse etiam Petrum fuisse, & ecclesias ibi constituisse, & tamen nollet proculdubio concedere Borcovius, Apostolos inde prodire. Credit enim ex illis post Petrum & Paulum tales prodisse, quos pro detectabilissimi habet haereticis. Quid hic dicet Borcovius? Dicet fortasse, alios locos corruptos fuisse, Romam non item. At hoc dicat illis, qui ecclesiam ipsius & ejus defensores audire coguntur sine ratione & contra rationem. Nam si ulla ecclesia a Christi religione aberravit, aberravit Romana, ut jure Græci suas cathedras ostentare adversus Romanenses videantur, ut pote, quos tanta fidei & morum corruptio nunquam invasit, quanta Romanam sedem, de quo, qui velit, legat, vel meminerit multorum Pontificiorum scriptorum de corruptela ecclesiæ Romanae, quæ alibia nostris citata sunt, & interalia Petrarchæ Poëtæ Itali.

Dixerat inter alia etiam Miedzibozius, ideo meritò non debet Apostolos vocari Ministros, qui a Papatu recesserunt, quia nihil Apostolicum in illis appareat: sed illa potius, quæ omnibus hereticis semper fuerunt communia, nempe superbiam, doctrinæ inconsistentiam, seditiones, bella & hujusmodi. Responderam ego: 1. Frustra rationes afferri, quare aliquis non sit Apostolus, cum si ipse, de quo quæstio est, nolit haberi pro Apostolo; & hoc esse, præpeditum animo, non attendere id, de quo sermo est, quod nunc iterum dico, & Borcovium pertinaciæ, cuius reum feceram Miedzibozium, defensorem esse affirmo. Dixi ram deinde, vitiorum istorum indicia in quibusdam apparere potuisse. hoc enim eos secum attulisse ex Papatu: interim verò hoc ipsi Ministrorum ordini fraudi esse non debere. Ita enim hac in re proficere ecclesias istas omnes, ut ad canonem Apostolicorum indies magis sint conformes ipsorum Ministri, qualium etià magnus numerus seculo hoc præterito extiterit. Docueram etiam, subdolè id superbiam appellari, quod zelus divinæ gloriæ jure censeri debeat, dum scilicet homines quidam ab initio pauci & parvi, tot hominum tam potentium myriadibus sese opposuerūt. Hoc verò superbiam esse, neminem

Petrus & Paulus  
Româ non pro-  
dierunt.

Nulla ecclesia  
ab errore libera  
est necessariò.

Repetitio ante  
dictorum.

sane nientis dicturum, cùm nimis multo illis hæc superbia consterit. Nam & famæ, & bonorum, & vitæ denique jacturam facere eos oportuisse, qui isto modo Papatui sese opposuerunt. Inconstantiam pariter ostenderam id injuriâ dici, quod in veritate indies ecclesiæ & Ministri proficiant. Hanc enim esse naturam veritatis, ut a parvis principiis ad perfectionem tendat, & ut non semel omnia corrupta fuere, sic nec omnia semel instaurari, ob hominum infirmitatem, potuisse. Seditiones & bella si quæ orta sint, accensa denuo luce Evangelij, id ministris injuriâ ascribi, dixeram, cùm etiam, Apostolis veritatem Evangelicam annunciantibus, talia exorta sint, qui tamen procul ab omni hæresi aberant. Et si tamen animus quorundam ab his rebus non abhorruit, dixeram, id per errorem (quem ex Papatu secum attulerant) factum fuisse, quod crederent, liberum esse religionem vi & armis defendere. Hoc autem non nisi cum summa calumniâ de omnibus dici, qui a Papatu recesserunt, cùm sint inter eos, qui ab hisce rebus prorsus abhorreant, & omnia pati, expedire putent potius, quam bellum movere, nedum adversus magistratum, sed nec adversus quempiam alium. Ad hæc quid Borcovius, Lutheri, ait, *superbia tanta fuit, ut cum etiam sui ferre non possent, de quo multa ab ipsis Evangelicis scripta reperies*. Sed nunc de Ministris, qui a Papatu recesserunt, sermo erat institutus. Num idem Lutherus & omnes Ministri? Fuerit superbus Lutherus, quid hoc ad alios infinitos? An non fieri potuit, ut is, qui primus glaciem perfregit, esset superbus, alii vero alieni a superbia; qui non Lutherum, sed Christum sibi in pietate & moribus imitandum proposuerant, etiamsi tandem a Lutherò revelatas sententias sequerentur. Evidem non paucos novi Lutheranæ religionis ministros, homines verè modestos & humiles, & solidâ pietate in Deum & homines insignes: & tales fuisse plurimos certius est, quam ut probari debeat, quantumvis pontificii sacrificuli illis apud credulum & impiu vulgus detrahant. Quid vero de illis dicam, qui a Lutherò recesserunt, & alias ecclesias constituerunt, qui, in unum collati, numero proculdubio superant Lutheranos? Inter illos sancti, viros extitisse & extare, multiplici ut eruditio ita etiam pietate conspicuos, & ab omni superbia alienissimos, nemō nisi indivia ipsa & malevolentia negare potest. Sed & Lutherum deférere non decet in hac criminazione. Nam quod quidam ex ipsis Evangelicis de illo scripsérunt, id non a superbia in Lutherò profectum esse dici potest, sed vel a quodam masculo spiritu, quem Deus illi, qui primus tantam rem aggredi debuit, indiderat, vel ab aliqua (ut rigidiſſimis etiam censoribus satis fiat) ignorantia vel errore, quod

Defenduntur mi-  
nisti Evangelici.

Lutherus defen-  
ditur.

quod scilicet ea, quæ ab aliis nova ad religionem stabilendam afferebantur, nimis liberè rejiciebat, & quorundam inter Evangelicos importunitatem, quorundam etiam, in negotio religionis procurando, meticulositatem graviter perstringebat. Quæ omnia, licet, si ad normam Evangelicæ pietatis exactam censeantur, approbari non possint: non sunt tamen illud superbiæ peccatum, quod homines necessariò salute æterna privet. Non omnes enim eodem modo agunt omnia, nec ut agant, semper necesse est.

Ait iterum Borcovius: *Iam inconstans doctrinæ talis est & fuit, ut recte quidam de illis dixerit: Quid hodie credant, seio, quid cras credituri sint, nescio.* Tale quid ab initio reformationis ecclesiarum, in rebus ad salutem utilibus, factum fuisse, & nunc etiam fieri posse, equidem non negandum esse puto. *Quid enim mirum, eos, qui cum nec Prophetæ, nec Apostoli essent, aut sint, sed ex solis sacris literis peterent & petant, quicquid contra Papatum afferbant, indies in cognitione veritatis profecisset?* Ut enim Prophetarum & Apostolorum est, omnia simul & semel scire, quæ ad eorum munus pertinent, absque ullo studio & labore: ita ad doctores & pastores ecclesiæ Christi constitutendos, sufficit, si ex collatione scripturæ indies ea addiscant, quæ munus ipsorum concernunt, ut exemplum ipsius Timothei docet, quem Paulum lectioni & sacris literis incumbere jubet serio. Quanquam, per Dei gratiam, ita jam confirmata sunt ea, quæ ad salutem necessaria simpliciter sunt, ut inconstans locus nullus sit prorsus, quin imò inter omnes de illis satis recte convenit: quæ vero ad salutem utilia sunt, in iis ita proficiunt ecclesiæ reformatæ & eorum Ministri, ut bona spes sit, vel omnes tandem idem sensuros, vel saltem invicem ita se toleraturos, ut concordia & pax fraterna sarta teat maneat. *Quia in re, dum ecclesiæ imitamus Apostolicas, nulla inconstans nota inuri nobis potest.*

Ait denique Borcovius: *De tumultibus & seditionibus nihil attinet dicere, cum hoc Gallia, Germania, Belgium, ceteræque provinciae sat loquantur, quæ domesticis motibus exagitatae, nedum plane conquererunt.* At ego: Nihil quidem attinet dicere de tumultibus & bellis, quod fuerint vel etiamnum sint: sed multum attinebat dicere vel docere potius, ea ministris autoribus facta esse. Sunt enim multi ex ministris, qui bella omnia prorsus improbant: reliqui vero, qui belligari licere autemant, non tam seditiones & bella moverunt, quam vel vim illatam, repellendam; vel inferendam, avertendam esse suaserunt, vel saltem senserunt. Hoc vero, quia licere ipse Borcovius non diffiteatur, quomodo reprehendere potest?

Proficere in veritate, licet.

*1. Tim: 4. 16.  
2. Tim: 3. 15.*

Vnitas ecclesiærum in rebus ad salutem necessariis.

Ministri bello-  
rum autores non  
fuerunt.

His ita expeditis, iussum erat, ut Borcovius etiam suos Pontifices & spirituales excusaret. Hos enim ego & superbiae, & inconstantiae, & seditionum accusaram. Et si superbia, inconstantia doctrinæ, bella, seditiones non permittunt, ut quis sit minister, vel ecclesiæ doctor, quod nos tantum nobis sumimus, quomodo permittent eadem vitia, ut aliquis sit Apostolorum vicarius, quod sibi cum suis a seclis vendicat Romanus Pontifex? Superbiæ docueram eo, quod Papa Romanus & ejus a seclæ, in omnia quæ sunt, absolutum sibi dominium arrogent, & nullo pro rorsus jure obligari velint, & omnes denique præseita contemnunt, ac si soli homines essent, cujus etiam hoc scriptum Borcovianum non minimo est argumento. Inconstantiam doctrinæ ex eo ostenderam, quod, ipsis etiam Pontificiis testibus, nec talis confessio, nec tales ritus ab initio fuerint in ipsa ecclesia Romana, quales nunc sunt. Tot enim ferè habere additamenta ipsorum religionem & ritus ecclesiasticos, quot fuere Papæ & concilia, ut ex historiis constat. Bella & seditiones, quæ, multis retro seculis, & præsertim hoc nostro, orta sunt, pleraque Pontifici Romano & ejus a seclis tribuenda esse dixeram: Lanienarum verò omnium, quæ ab annis retro 80. extiterunt, solum Pontificem Romanum, & ejus Monachos veteres & recentiores Iesuitas, causam fuisse indicaveram; idque ipsos etiam Monachos & Iesuitas, qui Pontificis Romani sunt satellites, non negare. Sed hæc omnia sicco pede transire mavult Borcovius, quām Pontificem suum & suos socios prodere. Sic enim ait: *Conaris tu quidem ista amoliri & in Papam transferre, sed frustra. An frustra, judicet lector ex eo, quod, necessitate coactus, modò ex defensione mea hue transtuli. Quomodo verò probat Borcovius, id quod affirmat? Sic igitur ait: Satis enim constat, quid Lutherus in Germania, quid Calvinistæ in Gallia, quid vestri Anabaptistæ in Hollandia &c alibi fecerunt. At non hoc ostendendum erat, quid alii fecerint: sed, an non id fecerit Pontifex Romanus, quod illi a me objectum fuerat. Nam si verum esset, quod ait Borcovius, tam Lutherus quām Pontifex Romanus accusandus esset; nec posset culpa Lutheri Papani Romanum immunem a culpa facere: iam verò calumniosum prorsus est, quod Luthero & Calvinistis affingitur. Nunquam enim bella ob religionem cuiquam intulerunt, sed illata tantum repulerunt. Hoc autem licere credit Borcovius. Quos verò Anabaptistæ in Hollandia excitârunt tumultus, quo jure aut quā conscientiâ tandem nobis objiciuntur? Cùm nos nec Anabaptistæ simus; nec ista ullo modo approbemus. Cogitet Borcovius, quām gratum hoc illi futurum sit, si dicam, eum vel socios ejus, esse Regum Christianorum sicarios, quia Monachi Reges interemisse*

*Superbia ecclesie Romanae.*

*Inconstantia doctrina ecclesie Romanae.*

*Bellorum & Lanienarum causæ ecclesie Romanae.*

*Malevolentia Borcovii.*

interemisse credantur: & tamen negare nequit, ejusdem fuisse ordinis illos, cuius ipse est vel ejus socii. Et sic etiam istud dilutum est, quod iterum ait Borcovius, *Apostolos nunquam classicum eecinisse ad bella Dominis inferenda, ut Lutherus fecit, & alii nostri.* Id enim fecerunt, quod ipsemet Borcovius, recte fieri posse, cum suis, credit, nempe bellum illatum religionis causâ etiam a domino, repellere jure posse. Quanquam nos hoc prorsus improbamus, & cum Christi religione id nullo modo convenire, persuasum habemus.

Sed jam tandem, missis parergis, videamini, quid ad rem dicat Borcovius? Res est: An licet docere absque missione, hoc est, an absque antegressa humana vocatione & licentia, ab aliis data, quam ille mediatam missionem appellat, licet ei, qui ad docendum alios aptus & vitæ est inculpatæ, alios docere Christi Evangelium. Notandum enim hic in primis illud est, nullam missionem, qua ab hominibus proficiscatur, vel mediatam dari. Missio solius Dei est & Iesu Christi: adeo ut nec ipsi Apostoli quenquam mittere, propriè loquendo, potuerint, aut mississe legantur. Modus quo ad annunciatum Evangelium homines apti fiunt, duplex dici potest, alter per missorem, qua Apostolis & aliis fortasse paucis eorum sociis contigit: alter per acquisitionem eorum, qua Paulus in episcopo requirit. Ille modus penes solum Deum est & Christum: hic penes homines perpetuò. Quo ita breviter indicato, videamus rem ipsam. Pontificis, absque missione (quam vocant) mediata, docere alicui alios licere, nullo modo concedunt: nos si fieri posse credimus, dummodo sit ad docendum alios aptitudo: Afferit Miedzibozius ad astriendum, quod sentit, locum Heb. 5. *Nemo sumit sibi honorem, sed vocatus a Deo, sicut Aaron. & Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi missi sint?* Ad priorem ego responderam. 1. Autorem non de omni honore, sed tantum de sacerdotali loqui, qualisnon est eorum, qui alios docent. Ad hoc quid Borcovius? *Futilis plane est*, ait, *responsio ista.* Nam Apostolus loquitur generatim de quovis honore in ministeriis, quæ pertinent ad Deum. *Quod autem de Aarone dicit, id exempli tantum causâ afferit,* & deinde sensum Apostoli ascribit. Ego vero Borcovium accuso, qui, cum ratio ipsi afferenda esset, quâ probaretur, hîc de omni honore sermonem esse, sensum Apostoli tantum exprimere voluerit. Nam sensum afferendo plerunque petitionis principiis fallacia committitur, & sensus, quem adversarius objicit, rejici semper jure potest: ratio verò non item. *Quomodo autem de quovis honore in ministeriis, quæ ad Deum pertinent, sermo esse potest* Heb. 5. cùm ibi de uno tantum honore agatur? *Dixerat autem ille, adhortatus nos ad* constan-

Status quaefi-  
nis.

Missio mediata  
nulla est.

Heb: 5. de certe  
honore agi.

constantiam in Christi religione , c. 4. 15. nos habere tales Pontificem , qui possit compati nostris infirmitatibus . Hoc probaturus vel potius declaraturus , c. 5. (ut ex particula yōp apparet) ait , hanc fuisse consuetudinem in lege , ut talis Pontifex ex hominibus eligeretur , qui posset condolere iis , qui ignorant & errant , & proinde ut pro populo , sic etiam pro se ipso offerret pro peccatis . Hoc absoluto , non rationem addit ullam , ut videtur velle Borcovius , sed , ut conjunctio . Et docet , alterum addit , ad eundem Pontificem constitendum pertinens . Nempe constitutionem illam Pontificis non pendisse ex humana autoritate , sed ex Dei vocatione , dum ait : *Et nemo sumit honorem , sed vocatus a Deo ut Aaron* , qui primus hujus ordinis sacerdotalis autor fuerat . Et hec duo deinceps inverso ordine de Christo etiā probat , nempe eum & a Deo constitutum esse pontificem , & tales fuisse , qui ipse imbecillitate circumdatu s esset . Vnde constat , eum de solo Pontificatus honore agere . Quod etiam quidam interpres hac in re minimè suspe cti indicarunt , dum voci honorem , vocem hunc anteposuerunt , hoc modo : neque sibi ipsi quisquam sumit hunc honorem , quia scilicet in Græco est τὴν τιμὴν .

Indicarām etiam in hac responsione mea , propterea hunc locum ad propositum non facere , quia munus docendi non tam sit honor quam labor . Laborem autem sumere semper licere : honores non item . Quod Borcovius omisit . Nunc addo , etiamsi tandem de munib⁹ vel ministeriis in genere sermo esset , quæ ad Deum pertinent : hoc tamen totum ad vetus tantum Fœdus referendum esse . In illo enim præcepta Dei de ista ordinatione extabant expressa : At in Novo nullum hujus ordinationis , tanquā præcepta & necessariæ , vel minimum est vestigium .

Responderam etiam alio modo : ( non quod viderem , ut ait Borcovius , priorem responsionem meam non valere . non enim semper , qui duplice assert responsionem , dubitat de altera , sed ut duplice responsione infinitatem tantum majorem argumenti Miedzibozii ostenderem . ) Non sumere sibi ministros munus docendi . Eū enim sumere aliquid , qui sibi arrogat , quod ei non debetur : At iis , qui ad docendum apti , & vitæ sunt inculpatæ , deberi munus docendi . Sed hoc etiam nihil valere ait Borcovius . Non enim , ait , quia aptus est quispiam , ideo se ingerere debet . Hac ratione sequentur , si quis esset aptus ad regendum , posse eum regnum aliquod occupare , in virtutis etiam illis , qui jus habent creandi reges , quo nihil potest esse absurdius . Aptitudo cuiuspiam servit ad hoc , ut possit eligi & vocari ad ministerium aliquod : at ut re ipsa se ingerat , hoc & ratio & experientia refellit . Sed ad rem non respondet Borcovius . Non enim queritur , an

Heb: 5. de solis  
veteris Testa-  
menti honoribus  
agi.

Duplex ad unum  
argumentum da-  
tur responso.

Non sumit munus docendi, qui ad illud aptus est

tur, an is, qui aptus sit ad ministerium, sese ingerere debeat: sed, an is sumat honorem muneris docendi, hoc est, an sibi id arroget, quod ei non debetur, qui aptus sit ad docendum & vita inculpata, hoc verè in questione est. Non sumere autem cum sibi honorem istum, si ad docendum aptus sit, & vita inculpata, ex eo constat, quod Paulus in eo, qui Episcopatum concupiscit, tamen hæc duo requirat. Quibus existentibus jam totum id est, quod ad ministrum constitendum necessarium est. Electio illa & vocatio non est de natura Episcopatus, sed pro ratione temporis usurpari potest, ad decorum conservandum & ordinem: *Quin imò, si necessaria sit vocatio, debetur ei, qui aptus sit ad docendum & vita inculpata, ab iis penes quos ista electio est, si modò penes aliquos est: & si non offeratur illi, potest legitimè munere docendi alios fungi, imò fungi eo debet, si ita salus proximorum requirat, nisi graves Deo poenas dare velit.* Perinde enim est, ac si quis, cùm proximi salutem procurare posset, susque deque id haberet, quod peccatum esse gravissimum, nemo non videt.

Instantia de regno dissimilis prorsus est, praesertim si jam constituta sit Respublica, & regem suum habeat. Eset enim hoc contra omnem iustitiam, invadere aliena: At dum quis munus docendi alios affe stat, neminem laedit, commodat autem plurimis. Nisi fortè singat Episcopatus Christianos Borcovius ex suis, quos nemo, nisi aliis pellatur, vel cedat, occupare potest: At tales nunquam fuere ii, qui in Christi ecclesia olim vigeant & hodie vigent: Imò semper optandum est, ut Deus tales extrudat, qui fideliter gregis Christi curam gerant.

Ad alterum locum, Rom: 10. responderam, Paulum loqui ibi de tali annunciatione, quæ, simpliciter & naturâ suâ fieri nequeat: non autem de ea, quæ cùm fieri possit per se, legitimè fieri nequeat, idque loquendi modis ibidem additis confirmaveram: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent, quod non audierunt?* Horum enim verborum sensus non is est, nemini licere invocare eum, in quem non credidit, aut nemini licere credere aliquid, quod non audiverit, hoc enim esset planè ineptum & ridiculum. Sed sensus est: nullo modo fieri posse, quantumvis quam maximè velit, ut aliquis eum invocet, in quem non credidit, & ut aliquis id credat, quod non audivit. Vnde conllat, verborum, quæ mox sequuntur, *Quomodo autem prædicabit, nisi missi sint, non eum etiam sensum esse, nemini licere docere, nisi mittatur, sed neminem ulla ratione posse predicare, hoc est, rem novam annunciare, nisi mittatur, hoc est, nisi a Deo id ei munus imponatur.* Athodie controversia non est, an doce-

Rom: 10. de impossibilitate docendi loquitur.

re ministri possint: sed an, etiam si possint, id eis liceat. Itaque locum istum nihil prorsus ad rem facere, jure dixeram. Borcovius me & ineptum & ridiculum esse ait. Ineptum, quod dicam, Paulum hic de rebus novis & inauditis loqui, cum de prædicatione verbi Dei sermonem habeat, quæ in ecclesia fieri solet. Ridiculum, quod dicam, Paulum loqui de re impossibili. Nam, ait, esto sane: loquatur *Apostolus de impossibili*, tamen istud impossibile, de quo ipse loquitur, idem planè est quod illicitum. Agit enim ille non de impossibilitate *Physica*, sed moraliter. Quod enim non licet, etiam moraliter fieri non potest: estque talis loquendi modus etiam in scriptura usitatus. Ita enim legimus de Ioseph, qui cum sollicitaretur ad flagitium ab uxore Putiphis verbis usus est: Quomodo possum facere hoc malum & peccare in inum meum? An Ioseph non potuit facere simpliciter quod petebatur? certè potuit: sed dixit se non posse, quia non licebat. Idem esto judicium de hoc loco. Vult *Apostolus non posse quenquam licite prædicare*, nisi fuerit missus: si non potest licite, cur ergo Ministri licere sibi putant? Itaque ex ore tuo te judeco serve nequam. Ad hæc iterum respondeo. Non ego ineptus sum, qui dico, Paulum de prædicatione vel potius annunciatione loqui, quæ vox non omne genus docendi eo in loco complectatur, sed illud tantum, quo novum & inauditum aliquid in mundum affertur; idque postea comprobo: quis enim nescit hanc esse propriam prædicationem vel annunciationem: eam verò de qua nunc sermo est, quando scilicet quis olim tradita, alijs ulterius proponit, esse impræpriam? Sed ineptus est ipse Borcovius, qui, de novis & inauditis *Apostolum loqui*, ideo negat, quia sermonem habeat de prædicatione verbi Dei, quæ in ecclesia fieri soleat. Quasi verò illa ipsa prædicatio verbi Dei, quæ in ecclesia fieri solet, non possit dupli cit illo modo considerari, quem modò exposui, ut & is, qui primus omnium aliquid prædicat, & is qui semel prædicatum ulterius propagat, prædicare dicatur verbum Dei in ecclesia, quamvis magis propriè ille, quam hic: et illi missionem necessariam esse Paulus dicat, huic verò non item. Quemadmodum si quis Regis alicujus subditis leges & mandata ante inaudita afferret, tellimonio legationis sibi commissæ opus haberet: eum verò, qui alias, ad leges & mandata illa regia semel allata & confirmata, exequenda adhortaretur, nullo modo legationis testimonium exhibere teneri, omnes sanx mentis contestantur. In eo porrò, in quo me ridiculum facit, consideret lector prudens, quomodo se gerat Borcovius. Ait, *impossibile*, de quo Paulus loquitur, idem esse plane, quod illicitum. Qua verò fretus ratione? Impossibile enim nihil cum illico habet commune. Quia, inquit, Paulus agit non de impossi-

Duplicè prædicatio in ecclesia Christi.

simile.

impossibilitate Phisica, sed morali. Hoc verò quo argumento iterum probat? Nullo sanè. Ego verò Paulum ajo de impossibilitate loqui, quæ licet non sit physica, physicæ tamen similis est, quæ Logica impossibilitas appellari potest, cùm scilicet impossibile esse dicitur, ut ubi causa non est, detur effectus. Qualis illa est: Impossibile est aliquem invocare, in quem quis non credit: impossibile est, aliquem credere, quod non audivit. Vnde videre potest Borcovius, nihil ad rem facere id, quod de Iosepho affert, qui id se facere non posse dicebat, quod non licebat. Hic enim figura quædam phrasis agnoscenda necessariò est, cui in verbis Pauli nullus est locus. Videre etiam potest, falsum esse, Paulum velle, non posse quemquam licetè prædicare nisi fuerit missus: Videre denique potest, quām modestè & quām verè verba ista Christi in me strinxerit: *Itaque ex ore tuo te judico servē nequam.* Christus eum, qui sibi non serviuit, ut par erat, servum nequam appellare potest: At Borcovius quid in me juris habet? cuius me criminis convictus? Sed quid non licet illis, qui neminem verentur aut inveniunt? Sis lingua tūx Dominus Borcovi: ego aurium & oculorum ero.

Attulerat præter hos duos locos sacræ Scripturæ, rationem etiam Miedzibozius, quare sine missione nemo docere debeat, perpetuum morem ecclesiæ, quod nemo scilicet ingesserit se, sed missi ab aliis ministri fuerint: idque exemplo Apostolorum: Pauli & Barnabæ, Timothei & Titi illustrarat. Responde ram ego primum, non esse necessarium expectare, donec aliquis ab aliis mittatur, cùm Paulus dicat, eum qui Episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscere. Hoc sic aggreditur Borcovius: Id quod dico de Episcopatu, frivolum esse ait, & negat istam consecutionem: Licet concupiscere, Ergo etiam aggredi, Episcopatum. Requiri enim, ait, ut ab his, quorum interest, ad hoc illi facta fuerit potestas. Ego verò dico, rectam esse istam consecutionem: Si licet concupiscere, Ergo etiam licet aggredi docendi munus. Nam concupiscere isto in loco aliud nihil est, quām aggredi munus docendi. Quis enim dubitare poterat, eum qui in animo suo concupiscit Episcopatum, absque functione illius, illum rem bonam animo versare, ut hoc Apostolo docendum fuerit? At posse aliquem munus illud sibi sumere sponte sua, & illud aggredi absque singulari missione, vocatione, aut electione, dubitari poterat, ob magnam ejus dignitatem. Docet igitur Paulus rectè id fieri, & jure posse unumquemque id aggredi, modò ad id aptus sit, quod aggredi cogitat vel cupit, quam aptitudinem statim etiam copiosè describit, etiam si tandem a nomine vocetur vel mittatur. Et causa hujus doctrinæ

Quid sit concupi-  
scere episcopatu.

Cur Paulus li-  
bertatem conce-  
dat affectu[m] mu-  
nus docendi.

Apostolica ea esse videtur, quod paucos futuros Spiritus sanctus præviderit, qui munus alios docendi aggressuri essent, ob nimiam illius difficultatem & molestias infinitas, & ob id potissimum, quod nunquam commodis terrenis frui posse videantur, qui verè & ex animo munere hoc fungivolunt. Deinde licere ei etiam aggredi munus docendi, cui licet concupiscere, absque ulla aliorum vocatione aut missione, hinc constat, quod nemo sit, cui potestas ista vocandi alios data sit: & principium petit Borcovius, dum istam vocationem expectandam esse docet. Imò si quis sit ad docendum alios aptus, & vi-  
ta inculpatæ, eum alii pro Episcopo suo, si ita opus sit, recipere te-  
nentur. Fingamus denique neminem esse, qui aliquem vocare aut  
mittere possit. num idè munus docendialios omittendum est? Ut,  
si in ea mundi parte, ubi hactenus Evangelii nulla fuit notitia, innote-  
sceret illud: agnosceret aliquis, verum esse Christi Evangelium: a-  
gnosceret sui esse officiū, aliis etiam idem Evangelium commenda-  
re: nemo esset in ista regione, qui illum vocare ad istud officium pos-  
set: nesciret etiam alibi esse, a quibus sibi potestas impetranda esset,  
vel nesciret, sibi potestate aliqua ad eam rem opus esse, cùm nus-  
quam id Evangelium testetur, num propterea alios Christi Evange-  
lium docendi officium negligere ipsi liceret? Certè nihil minus. Ap-  
paret igitur, ad naturam muneric docendi nullo modo pertinere i-  
stam vocationem vel constitutionē: sed, si vel olim adhibita fuit, vel  
nunc adhibetur, id in ecclesia bene constituta fieri, ordinis & decori  
conservandi causa.

Responderam secundò, Apostolorum hic importunè mentio-  
nen fieri, cùm nemo dubitet, eos missos fuisse & missione opus ha-  
buisse, alioquin Apostolos non futuros. Idem enim est missum & A-  
postolum esse. Borcorvius ait: Meritò Miedzibozium addidisse, etiam  
Apostolos non docuisse, nisi à Christo missos, ut intelligamus, alio illos  
fuisse spiritu præditos, quam nos, qui ex iam si a nullo mittamur, ultro  
nos ing'eramus, & ordinem a Deo præscriptum pervertamus. Sed ratio  
hæc Borcovii nulla est. Nam qui nova revelat, ei missione opus esse,  
ipsa res loquitur: at qui semel annunciatiterat tantum, ei missione  
opus nec est, nec esse potest, ut soprà id illustravimus exemplo lega-  
ti Regii. Apostolus tenebatur missionis suæ testimonia afferre. Quo-  
modo enim prædicassent, nisi missi fuissent? At ministri alii nullo  
modo tenentur, quia diversa sunt, Apostolorū & Ministrorū officia.  
Apostolus tenebatur ea, quæ docebat, externè cōfirmare, & vera esse  
docere: Minister vero, quæ vera esse Apostoli docuerant, aliis tantum  
proponit, caque non confirmat, sed ad ea cum intelligenda tum ob-  
servanda

servanda operam suam aliis navat. Ordinem autem a Deo præscriptum esse, nempe mittendi ministros, audacter quidem dicitur, sed absque omni verisimilitudine.

Deplorandam ego dixeram esse cæcitatem, quod missio pro ordine a Deo præscripto venditetur, quæ tamen nulla est: interim qui ordo a Deo præscriptus est, ut sint apti ad docendum alios & vitæ inculpatæ ministri verbi Dei, susque deque habeatur. Sed hic suo more surdus & mutus est Borcovius. Hoc erat faciendum: illud vero, ubi id commodum publicum exigit, non omittendum. Nunc, quæ facienda sunt, spernuntur: quæ vero, ut fieri possunt, sic possunt non fieri, sola urgentur, ut habeant, ubi lateant illi, qui Christi religionem quæstum esse existimant.

Responderam tertio, nimis imperite & impudenter dici, Apostolos Paulum & Barnabam misisse. Nam. 1. Paulus jam tunc Apostolus erat. Quomodo igitur mitti potuit? 2. Act. 13. non Apostolorum, sed ecclesiæ Antiochenæ, ejusque Prophetarum & doctorum tantum sit mentio. Quomodo igitur Apostoli miserunt? 3. Non est ibi sermo de missione ad munus docendi, hoc enim antea Paulus functus fuerat, sed ad opus singulare. 4. Exemplum illud singulare est, ideoque pro norma generali affectri non potest. Ad hæc Borcovius ne verbum quidem responderet. Quod in initio etiam hujus refutationis indicavi. Vnde perspicere potest lector, quid Borcovio propositum sit, dum Miedzibozium defendit.

Responderam quartò, quod ad Timotheum peculiariter attinet, locum a Miedzibozio allatum 2. Tim. 1. non loqui de munere docendi, sed de gratia Dei, quæ erat in Timotheo. Hanc verò fuisse dona spiritualia, quæ miraculo modo illi contigerant per impositionem manuum præsbyteri, unde etiam eandem resuscitare illum jubet Paulus. Quod ad Timotheum & Titum simul attinet, dixeram, hæc exempla pauca non sufficere ad regulam certam constituerendam, etiamsi ab Apostolo misi vel constitutifuisserent per manum impositionem. Id enim fieri potuisse, quia sic τὸ πρεπόν requireret. Non spectandum autem esse in hoc negotio, quid olim cum quibusdam factum sit, & hodie etiam fieri possit, sed quid necessariò fieri debeat. Id porrò non ex exemplis sed legibus discendum. Leges autem esse Canones Apostolorum de Episcoporum attributis. In his quia nulla fiat missionis mentio, hinc liquere, missionem non pertinere ad naturam muneri, Episcopalis.

Ad hæc ita rescribit Borcovitus: *De Tito, ait, & Timotheo missis a Paulo tantum hoc respondes, etiam si ita esset, non quid olim factum sit*

*Corruptionis ecclæsiae Romanae signum.*

*Repetitio dictorum.*

sed quid fieri necessariò debeat, spectari oportere &c. Sed nec verum est, quod ait Borcovius, me hoc tantùm respondere, ut ex iis, quæ modò repetii, constat: nec etiam si hoc tantùm respondisse, erat, quòd ita metacitè carperet Borcovius. An non enim sufficit, attulisse ad objectionem vel argumentum adversarii responsem unam, si sit solidà? Hujusmodi cavilli iis relinquendi essent, qui res ludicras tractant. Hoc verò quod solum me afferre ait Borcovius, quomodo refutat. Perperam, ait, hoc a te dicitur. Nam etiam exempla Apostolica inspicienda sunt, ut sciamus quæ fuerit eorum consuetudo in constituendis ecclesiæ doctoribus. Et profectò bene illi noverant, non tantùm quid fieri possit, sed etiam quid necessariò fieri debeat, ut & hic non parum te delirare intelligas. Delirium mihi objicit Borcovius: Hoc quo jure faciat, videat lector. Ego verò ipsum graviter errare, & non minimam suam ignorantiam prodere affirmo, qui, quod faciendum sit necessariò in ecclesia, ex iis, quæ Apostoli fecerunt, intelligi velit, qui error etiam supra capite 2. novatus fuit. Scimus exempla Apostolica inspicienda esse, ut sciamus quæ ipsorum fuerit consuetudo: sed non hoc queritur. Possum enim scire, quæ fuerit consuetudo Apostolorum, & tamen nescire, quid mihi necessariò faciendum sit. Hoc enim non exempla sed præcepta docent. Exempla, quid facere jure possum, tantum docent: At quid faciendum sit, vel exempla cum præcepto juncta, vel sola præcepta ostendunt. Hoc dum nescit Borcovius, videat quanta mihi detur occasio ipsi ea occinendi, quæ aliquoties satis insulte in hoc scriptum & in hoc etiam caput infarsit, recte me facturum, si me Miedzibozio in disciplinam tradicerem. Fore enim, ut ex asino caballus & ex Padoiriba fierem Theologus. Doce, Borcovi exempla vel Apostolorum vel Christi nos ad quicquam faciendum in religione obligare, aut agnosce, modestius tibi agendum esse cum adversariis. Hæc scilicet est vestræ ecclesiæ sapientia. In illa Christi præcepta spreta jacent: Interim exempla jam Christi jam Apostolorum imitationi homines satagunt, de quibus præcepta nusquam extant, ut appareat, quali regantur spiritu & judicio.

Sed audiamus quid amplius dicat Borcovius. Torrò, ait, in Canone non sit mentio missionis, quia hæc imprimis ab illo supponitur, & eâ suppositâ ostenditur, qualis debeat esse Episcopus aut presbyter. Audio sàne Borcovium id dicentem, sed & principium suo more gnaviter potenter, & ridiculum se præbentem. Vnde enim constat, missiōnem supponi, si inter ea, quæ tam prolixè de requisitis Episcopi Apostolus differit, non recensetur, & alibi etiam de ea nihil agatur? Et quid est, Paulum omittere præcipuum, & describere minus necessaria?

Præcepta tantum  
Apostolica nos  
in religione ob-  
ligant.

Missio non potest  
præcedere de-  
scriptionem offi-  
cii episcopalis.

ria? Adde quod præpostorè Paulum agentem facit Borcovius. Prius enim tale in esse oportet Episcopum, quemadmodum hic describitur, quam mittatur. Interrogo enim, cur mitti debeat ad Episcopatum aliquis? Nonne propterea, quod & vita sit inculpatæ, & ad docendum alios aptus? Certè ubi alia de causa id sit, ibi quæstus est Christi religio. Si igitur causæ missionis sunt ista, quæ in Canone Apostolico describuntur, & sola quidem, quomodo effectus, hoc est missio, prior esse potest hac sua causa? Porro qui jam missus est, is non potest non esse Episcopus. Fingamus autem, eum, qui jam missus est, nec aptum esse addocendum alios, nec vita inculpatæ, etiamsi illi præcipiatur, ut talis sit, quemadmodum vult Borcovius, quid tunc illo fiet? Erit ne nihilominus Episcopus, quia scilicet missus sit? Appage istam stupiditatem. Nec quicquam juvat Borcovium exemplum Regis, quod affert. Nam & in Rege eligendo causa est aptitudo illius ad regendum, ubi scilicet libera est ejus electio; et sine consideratione ista nunquam Rex aliquis designatur: immo valde ineptum esset, Regem absque hac consideratione, an ad regnandum sit aptus, eligere, & postea de munere illi prescribere, quomodo legere redebeat in regno, cum absque ista aptitudine, quantumvis ei nescio quid prescribatur, totum illud irritum sit.

Quod hic de manuum impositione interseritur, ad caput sequens pertinet: Hic tamen tribus id etiam verbis expediam. Tempore Apostolorum non fuisse negligendam manuum impositionem, hinc etiam probo, quod tunc Spiritus sanctus per eam daretur: hoc verò quia hodie non fiat, vel omnino non necessariam esse manuum impositionem, vel saltem alia de causa usurpari debere, quam ut aliquid iis, quibus manus imponuntur, conferatur. Respondet Borcovius, Vnde tu probare potes, non dari spiritum sanctum, iis qui mituntur? At nunc de manuum impositione sermo erat institutus, non de missione. Spiritum autem sanctum non dari per ea, isto scilicet modo, quo olim dabatur, quid opus est probare, cum ipsiusmet Pontificis affirmet, miraculosa dona hodie cessasse, & ut cessaverint, necesse sit quodammodo reliqua verò dona, ut olim sic etiam nunc, lectione assidua & precibus impetranda esse, scriptura testatur.

Addit Borcovius, etiamsi non daretur spiritus sanctus, tamen minister ad publicum munus obeundum potestatem necessariam esse: banc autem per missionem obtineri debere. At totum hoc falsum est, nec ullus vel testimonio vel ratione comprobari potest. Relinquitur igitur, nec missionem nec manuum impositionem necessariam esse ad ministerium constituendum, sicut ubi ita fert tempus & locus, aliorum consensum

sensus & approbationem pro missione censeri & adhiberi unâ cum  
mauuum impositione posse non diffiteamur. Convitetur igitur  
cum suo Miedzibozio Borcovius, quomodo velit, & fures ac latrones  
appellet eos, qui absque ista fictitia missione alios divinam volunta-  
tem docent, dummodo falsum sit, quod dicit. Fures ac latrones qui  
sint, partim indefensione dixi, quæ si velit, inspiciat lector. fol. 166. &  
nunc iterū dico, nempe qui, quantumvis missi vel ordinati sint, po-  
testatem sibi in populum Dei vendicant, illi imperant, & eum tan-  
dem seducunt. Quales tunc erant Pharisæi & alii illorum similes, qui  
federant in cathedra Mosis, hoc est, vi eam occupârant, & populum va-  
riis rebus onerabant, interim ipsi erant hypocrisis pleni.

*Quæ de Luthero, qui rationem missionis a Munnero exegerat,*  
unde colligit, sibi etiam idem licere adversus nos, affert, ea repe-  
te re tedium est & otiosum. Nam ut Lutherum errasse dicimus, sic e-  
tiam vos, qui idem facitis, errare affirmamus.

Porrò cum Socinus dicit, satis esse ad munus publicè docendi  
comprobandum, si illi ita velint, qui cohortationes & explicationes  
istas audiunt, & respondet Miedzibozius, hac ratione omnibus hære-  
ticis viam apertum iri. neminem enim esse, qui non habeat suos audi-  
tores, ego illum vim argumenti declinare affirmaverā. Non enim lo-  
qui Socinum de eo, quod ad ipsam naturam Ministri pertinet, quod-  
que necessariò faciendum sit, sed de eo, quod ad ordinem quendam  
honestum conservandum spectet, & fieri tantum possit, tacitè inte-  
rim sumendo, eum, qui ab aliis approbatur, esse dignum isto munere.  
Videat igitur Borcovius, quomodo vindicare Miedzibozium ab isto  
defectu responsionis possit. Nam quod ait, Socini rationem talem es-  
se, quæ etiam non veris verbi Dei ministris convenire possit, aut non  
intelligit, aut intelligere non vult, Socinum nullam rationem afferre,  
sed tantum sententiam dicere, quid scilicet faciendum sit, ut is, qui  
munere docendi dignus est, ab aliis audiatur, quod ad hæreticos pror-  
sus nihil pertinere, puto omnibus constare.

Sed nunc me graviter alloquitur iterum Borcovius, qui hæreti-  
cos & blasphemos dicam judicio Dei relinquendos esse, quippe qui  
velit sâpe numero extare hæreses, ut qui probati sunt, hiant mani-  
festi. Primum ait se id mittere, quod tamen absurdum sit. Ergo & ego  
illud mittam, si hoc unum verbum dixerim. Nulla in re gravius erra-  
ti, & peccari adversus charitatem, quam si ei, qui resipiscere possit &  
ita servari, cum vita hac temporali vita etiam æternæ spes pracida-  
tur. Et cui absurdum videtur, hujus modi hominibus parcere, praeser-  
tim, si pacificè vivant alioqui, is nescit, cujus sit spiritus. Venit enim  
filius

*Qui sunt fures &  
latrones.*

*Matth: 23.*

*Hæreticum vita  
privare, repugnat  
spiritui Christi.*

hominis, non ut perderet quenquam, sed ut omnes, quantum in illo erat, servaret, de quo etiam suprà dictum est. Alterum vero non erat, quod sic exagitaret & exaggeraret Borcovius. Quis enim nescit, peccatum dupli modo posse considerari, quatenus vel culpa est, vel poena. Quatenus culpa, absit a me, ut Deum autorem illius facere vel cogitem, autor enim ejus est Diabolus, & ei obsequens homo. Quatenus vero poena est, nihil absurdum in eo est, si dicatur, id a Deo interdum non tantum permitti, verum etiam procurari. Quid enim est, quod Deut: 13, dicitur, Deum tentare populum suum, quando prophetæ falsi inter illos exurgunt, an velit ipsi constanter adhætere? Item illud: Oportet esse hæreses inter vos, ut, (qui sunt) probati, manifesti fiant inter vos, &c. quam Deum velle, ut tales interdum, qui sponte sua mali erant, populum Dei infestent, & seducant? Quid est denique, quod Deus peccata peccatis punit, & tradit eos, qui impii sunt, in mentem reprobam, ut faciant ea, quæ non decet, quam Deum velle, ut, qui culpâ suâ mali erant, Dei judicio cospremente, fiant peiores?

1. Cor: 11. 19.

Rom: 1. 18.

Ista scommata puerilia, ne dicam scurrilia, quod mea Theologia valde sit exigua, & me recte facturum, si me Miedzibozio in disciplinam dem, fore enim, ut ex asino caballus, & ex pedotribâ fiam Theologus, quid putas, Borcovi, qualem tibi apud omnes sensatos conciliatura sint existimationem? qualem etiam sapient in Reverendo Domino modestiam?

Sacramenta porrò gratiam conferre, ac proinde potestatem ad ea administranda spiritualē requiri, quæ sine vocatione Dei haberi nequeat, verba sunt Miedzibozii & Borcovii, nulla prorsus sufficiatione. Itaq; non est, quod illis quicquam moveamur. Quam graviter autem errant, qui gratiam Dei sacramenta, quæ vocant, conferre sentiunt, alibi a nostris demonstratum est. Idolatricum enim quidam est, gratiam divinam ad ceremonias alligare.

Sacramenta grā-  
tiam nullam con-  
ferunt.

Similis autem esse cupit Borcovius Miedzibozio, dum id, quod cōtētim de cœna Dominica prout in nostris cœtibus celebratur, effutiit Miedziboz: verè etiam dictū esse ait. Illudite igitur, quando ita vobis liber, Reverendi D. Pontifici: sed prophani animū vestrū nemo pius non execrabitur. Nonné enim ipse Christus panem a pistore pistum, & vinum de cupa haustum Apostolis porrexit? Licet vero isto modo, quo vos in cœna Christum adesse affirmatis, adesse nos eum negemus: non est tamen exclusus ab ea prorsus, ut ait Borcovius. Quicquid enim Christus præcepit in sui commemorationem, & mortis suæ annunciationem, quomodo ab eo Christus exclusus esse dicipotest? Et licet panis & vinum in cœna, quoad naturam, nihil dif-

Christus non est  
exclusus a cœna.

**Panis & Vinum**  
in cœna Domini,  
quomodo diffe-  
runt ab aijo pa-  
te & vinea.

ferant ab alio pane & vino, differunt tamen usi, quatenus nemo frui illo potest, nisi una cum fide libus ad celebrationem mortis Christi conveniat, ut ea de re testatur Apostolus. Sunt quidem ita comparata omnia, quæ Christi habet religio, ut cavillationibus sint obnoxia; & talia ea Deus esse voluit, ut hominum mentes explorandi extaret medium: sed si quis istam vestram Borcovii monstratam metamorphosin exagitare velit, quâ sine fronte & sine mente panem in corpus & vinum in sanguinem Christi transubstantiari, & in pane tantum colore, formam & saporem superesse contenditis; panis istius comedionem pro carnis Christi venditatis, & eidem vitam æternam ascribere non dubitatis, quid putas futurum vestram istâ cœnâ, vel potius missâ? Sed nolo nunc istis exagitandis tempus terere.

**Quid in bapti-**  
**fimo aquæ sectan-**  
**dum,**

Quod in baptismi aquæ ceremoniis Borcovius acquiescit in traditione (si Deo placet) Apostolica, quid facias homini pertinaci? Audiant ergo nugas, qui nolunt parere veritati: & ecclesiaz corruptæ prætendant tradiciones, quibus sordent exempla virorum divinorum, Apostolorum scilicet, & ipsius Christi. Pedobaptismum autem & eis annexas ceremonias Pontificias, verè puerilia esse omnia, & Christianis hominibus indigna, jam satis superque constat ex eo, quod in sacris literis ea non contineri, ipsimet Pontifici publicè profittentur.

**Xepetitio dicto-**  
**orum,**

Ad ostendendum, non requiri vocationem aufmissionem ullam ad ministrum verbi Dei sub novo Fœdere constituendum, ut officium sub veteri Fœdere requirebatur missio ad sacerdotium, hoc etiam dixeram, diversam esse rationem sacerdotum veteris Testamenti, & ministrorum novi. Illic enim, ut ex certa familia prodibant omnes sacerdotes, ita eis solis sacra tractare licuisse: Hæc verò omnia jam præteriisse, tanquam vetera, hodieque, non quid olim in veteri Fœdere factum sit cum sacerdotibus, urgendum esse, sed quid fieri debeat, ex præscripto Apostolorum discendum. In quo cùm nulla ullius successionis aut missionis fiat mentio, hinc colligi, eam minimè necessariam esse. Borcovius nihil me facere ait, dum id dico. Non enim quia administratio Sacramentorum in nova lege, non sit ad certum hominum genus alligata, idcirco licere cuique passim ista administrare. Non familiam hoc fecisse, sed potestatem divinitus concessam. Sed quām multile meam rationem attulerit, ex iis, quæ modo repetii, patet: quām verò infirmam ipse respositionem apposuerit, imò quomodo aliud nihil agat, quām quod principiū petit, videbit, qui rem diligenter perpenderit. Doceat Borcovius, idem hodie fieri debere, quod olim sub veteri Fœdere fiebat, & res erit integræ.

Sed

Sed nunc quædam leviuscula iterum attingere me oportet. Monueram obiter Miedzibozium, quod ea, quæ in veteri Fœdere siebant, parum recte Sacraenta; quod legem, veterem, & quæ sub lege siebant, simpliciter, respectu etiam ad illud tempus, quo Evangelium nondum extabat, habito, clementer egena appelle. Borcovius, cum agnoscere deberet, cautiùs loquendum Miedzibozio suisse, ita se gerit, ac si ego errem, non Miedzibozius; & superstitionem mihi objicit, jam syllabas me aucupari, jam denique nodum in scirpo querere ait. Sed quia ista tantum obiter perstrinxeram, & me ista mittere dixeram, omnia ista in iuriam mihi a Borcovio objici, prudens lector intellegit. Exagitare aliquem ob ejusmodi leviuscula, non deceat: at mone-re semper licet & decet. Borcovius autem refutandus mihi est. Sacraenta vocari posse ait ceremonias veteris Fœderis, vel, ut ille vult, veteris legis, de quo postea. Cur verò Nonné ait, signa sensibilia fuerunt, instituta a Deo ad efficiendam justitiam, non quidem fidei & spiritualem sed legalem & carnalem? Quis verò docuit, hanc esse Sacraenti definitionem? & quod majus est, quis unquam audivit, ceremonias legales, (quæ scilicet Sacraenta appellantur,) a Deo in-stituta esse ad justitiam efficiendam, nempe carnalem? Ergo hodie, quæ Sacraenta vocantur a Borcovio novi Fœderis, sunt etiam in-stituta ad efficiendam justitiam fidei & spiritualem? (hoc enim requiriit antithesis.) Vnde verò hoc prodiit oraculum, externas ceremonias, efficere justitiam fidei? Nonné hoc totum est idololatricum aliiquid, ea quæ soli Deo & Iesu Christo & Spiritui sancto competunt, tribuere externis ceremoniis? Quid igitur opus est studio pietatis, si ceremoniae justitiam fidei efficiunt? Sed hæc est Pontificiæ Theologiæ, quæ ceremoniarum magistra est & patrona, proprietas. Quæ animus spectant & spiritum hominis, ea diligenter negligere: Cere-monias autem in cœlum usque extollere, & omnia, quæ salutem conciliant, illis tribuere, ut habeant, quo se solentur & decipient omnes hypocritæ & parum probi.

Socinum baptismum simpliciter Sacramentum appellare semel atque iterum, non docet illum a me dissentire, qui dico, Sacra-mentum baptismi, quod vocant. Nam statim ab initio, ubi de Sacra-mentis istis differere incipit Socinus, ait, sed instabit, hos ministros, sacra-menta etiam, (quæ vocant) administrare, &c. Vnde constat, eum, cùm postea simpliciter baptismum Sacramentum appellat, brevita-tis studio hoc fecisse.

Legem etiam, veterem appellari posse Borcovius docet, eo quod Paulus legis factorum & fidei meminit, & quia lex factorum sit ve-

Errorum Mie-dzibozii leviora  
mala defensio.

Nulla ceremony  
confert justitiam  
fidei.

Injusta Boreovis  
reprehensio.

**Non verus lex  
opponitur Evan-  
gelio.**

**Quid sit lex ope-  
rum & fidei.  
Rom: 7. 28.  
& 8. 2.**

**Quo sensu cere-  
monia legis ele-  
menta egena ap-  
pellentur.**

**Borcovius fibi  
centradicit.**

**Sacramenta non  
sunt media ad  
salutem.**

tus, fidei lex nova, dici posse veterem & novam legem. Ista equidem sinerem, nisi me nimis graviter castigaret & contemneret præ se Borcovius. Sed duobus verbis me expediam. Aliud est simpliciter veterem legem opponere Evangelio: & aliud est, docere, certo quodam respectu statum Evangelii, novam legem, legis vero, veterem appellari posse. Vox enim legis hoc in loco aliter accipitur, quam tunc, cum Lex Evangelio opponitur, & modo loquendi valde figurato lex operum & fidei esse dicitur, præscriptum & regimen operum vel fidei, quemadmodum etiam infra Paulus legem carnis, peccati, & mortis intelligit. De quo loquendi modo insolito fortasse nec cogitaret Miedzibozius, sed more & errore solito veterem Legem appellarat vetus Fœdus. Quia verò fœdus & lex differunt, & voce Legis simpliciter posita, plerumque Lex Mosis intelligitur, an monere leviter ejus rei Miedzibozium mihi licuerit, iterum expendat, lector.

Ceremonias legis fuisse elementa egena, contra me probat Borcovius autoritate Pauli, & ait, se malle credere Paulo quam mihi. At ego volo, ut non mihi sed Paulo credatur. Paulus appellat ceremonias legis elementa egeria: sed non dicit, ea fuisse tunc, cum nondum extaret Evangelium, elementa egena. Docet hoc ipsa vox, elementorum. Hæc enim locum non habet, ubi non sunt progressus & incrementa alicujus doctrinæ, vel alia potius doctrina. Et licet neminem per illas justificari posse hodie sciamus & credamus: tamen non erat ista scientia tunc revelata, cum nondum extaret Evangelium, sed omnes credebat, per eam dari justificationem. Vnde Paulus tanto cum conatu Iudæos sui temporis a studio sestandi justificationem per legem dehortatur, quod facere opus non fuisset, aut saltem non fecisset Apostolus, si Iudæi legem pro egenis & infirmis elementis habuissent, & justitiam ex illa non pendere credidissent.

Sed vide quomodo se ipsum intricet Borcovius. Ait se scire, quid velimus. Nos scilicet ut sacramentis Novæ legis detrahamus, veteris Testamenti extollere, & saltem hoc obtainere velle, ut paria esse videantur. Paulò enim ante indignè se ferre innuerat, quod ceremonias legis Sacramētavocari nō debere dixisset. Si ceremonias legis Sacramēta dici posse vel debere negavi, quomodo sacramenta veteris Fœderis extolli cupio? Sed hoc omisso, quid tacitè moliatur Borcovius, videamus. Ex Sacramentis, populi Christi præ populo illo antiquo præstantiam, cognosci vult mordicus. Ait enim. Quis tam stolidus est, qui Christum Ecclesiæ sponsa sive non meliora & efficaciora ad salutem media contulisse existimet. At aliud sunt sacramenta, quæ vocant, & aliud media ad salutem. Media enim ad salutem, cum sacramentis, quæ ita vo-

Ista vocant, nihil prorsus commune habent. Quod latius exponerem, si Borcovius præ nimia scientiæ Ecclesiæ suæ opinione doceri se a me, quem vocat, ministello, sustineret. Nam quia ego nihil intelligo, ut alibi de me ait, ille omnia fortasse intelligit, & nihil mihi reliquum fecit, quod intelligam, & hominem doceam, quod Æsopum etiam in aliis accusasse fertur.

Sed videamus amplius altâ Borcovii Theologiâ, quæ sic habet: Cùm præsertim aperte dicat Apostolus: Ceremonias veteris legis contulisse ad emendationem carnis, baptismum autem nostrum esse lavacrum regenerationis, servireq; non ad emundationem sordium carnis, sed ad mundandam conscientiam. Certè si quid est, quod aliquem a Theologia pontificia deterrire potest, Scripturæ est tam perversa interpretatio. Verba Pauli sunt: Deus nos servavit secundum suam misericordiam, per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus sancti. Verba Petri sunt: Cui (nempe arcæ Noë) correspondens exemplar nunc & nos servat baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi. Quæ mentio baptismi in verbis Pauli? quod vestigium? Lavacrum regenerationis, potest esse selavacrum, quod est regeneratio, ut vox Regeneratio sit addita vox. Lavacri per appositionem, quam vocant, quomodo etiam corona iustitiae vel vita, appellatur corona, quæ est iustitia, hoc est immortalitas, & vita, nempe æternitas; Et verba sequentia, & renovatione Spiritus sancti, explicatio sunt precedentium. Quid vero est in errore crassissimi versari, si hoc non est, quod Baptismus aquæ dicatur Lavacrum regenerationis? Baptizantur, qui ratione & fide carent, & tamen regenerantur? Baptizantur, quos, postquam adoleverint, plerosque videamus, omni fide & pietate carete, & tamen regenerati sunt. O fidem. O regenerationem. De loco Petri vero, quomodo dici potest, affirmari in eo, baptismum aquæ servire non ad emundationem sordium carnis, sed ad mundandam conscientiam, cùm de baptismio aquæ eum agere non constet? Primùm enim loquitur simpliciter de baptismio, eumque ævitutem esse ait arcæ Noë. Quod vero ævitutem est arcæ Noë, id nullo modo aquæ baptismus esse potest. Plurimi enim sunt, qui baptismi illius participes facti, non servabuntur tamen a suppliciis divinis, quemadmodum a diluvio per arcam Noë servati sunt, qui eam ingressi fuerunt. Deinde de baptismio, de quo loquitur Petrus, ait, baptismus quidem illud nos servare, sed addit, non depositionem sordium carnis, ac si dicere, non aquæ baptismus id præstare, sed aliud, nempe baptismū spiritus, qui est interrogatio bona conscientia in Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Baptismum enim a-

Heb: 9v  
Tit: 3.  
1. Pet: 3v

Quid sit lavaerū regenerationis.

2. Tim: 4. 8.  
Apoc: 2. 10.

De loco 1. Pet: 5v

quæ per se interrogationem bona conscientiæ in Deum appellare, mera est supersticio, & idolatriæ quædam species.

De sensu verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, suprà jam dictum fuit. Hic tamen breviter iterum respondeo. Christum corpus suum in cæna Apostolis distribuisse nego: Borcovius affirmat, eò quod Christus hoc idem, quod discipulis suis porrigerbat, corpus suum esse asseveraverit, & addit: *An tu Christum indignum censes, cui creditatur? Sand dignior est, quam omnes Anabaptiste, & una cum illis Theophilus.* Quæ verba, quam sint indigna homine gravi, expendat lector cordatus. Non, quis dignior sit fide, queritur. Quæ enim inter nos peccatores & lapib⁹ variis obnoxios, & Christum Iesum Dominum & Deum nostrum, comparatio? Sed quis sit sensus verborum Christi, interrogatur, propriusne an figuratus, præsertim, cùm constet bonam partem sacrarum literarum esse figuratè intelligendam? Propriè accipiēda esse hæc verba, ratio non permittit, cui renunciare nunquam tenemur, nisi aliquid absurdum ex eo consequatur, si illam sequamur. Hic vero tantum abest, ut absurdum aliquid consecutum sit, si eam sequaniur, ut multa absurdissima consecutura sint, si eam deseramus. Christus enim tunc, cùm panem Apostolis porrigeret, ipse mensa assedit, & conspectus ab Apostolis fuit, unde constat, eum nullo modo seipsum Apostolis comedendum porrexisse. Hanc rationem nullo verbo Borcovius tangit, nedum ut eam evertat. Tantum ait, *Christum tunc non panem dedisse. Fuisse quidem antea panem, sed cùm eum daret, verbis illum suis in corpus convertisse.* Nos vero sententias Borcovii nudas recipere non tenemur, nisi eas vel sacrarum literarum testimonio vel sana ratione comprobet. Quomodo vero conversus esse panis potuit, si panem Apostoli comedenterunt. Conversio enim ista panis naturam tollere debuit, aut si non sustulit, conversio non est appellanda. Addideram ego, Christi corpus comedere non potuisse absque sui corruptione. Respondet Borcovius: *Non metuendum erat, ne corrumperetur. Nam et si vere præsens erat, alium tamen existendi modum sub speciebus panis habuit, quam qui requiritur ad corruptionem.* Sed hoc est responsionem directam declinare, & causæ vitiositatem prodere. Christum corpus suum dedisse manducandum, & Christum ad cænam assedit incorruptum, contraria sunt. Ergo nulla ratione conciliari possunt. & hæsit hic, ut solet, Reverendus Dominus Borcovius. Narret ista commenta illis, qui vel ratione carent, vel cā non utuntur.

Quæ de modo explicandi verba Christi, quem nos afferimus, deinceps asserit, & quod Zwinglio iterum insultat, ea suprà a nobis tractata

Verba, Hoc est  
corpus meum,  
figuratè accipi-  
enda.

Estat satis & refutata. Illud h̄ic addo: Borcovium aliis suis sociis similem esse, qui ex eo, quod locus Exod: 12, de agno paschali, impr̄iē accipiendus sit, nos colligere judicat, verba etiam Christi, quibus in cæna usus est, figuratè accipienda esse. Nō enim nos sumus, qui argumentamur, Borcovi: sed vos estis, qui Christi v̄rba propriè accipienda esse contenditis: nos verò id necessarium esse negamus, & inter alia hujus rei argumenta, similes loquendi modos ostendimus, in quibus tropus sit agnoscendus. Vnde inferimus, vos non firmiter concludere, verba Christi absque ullo tropo accipienda esse.

Error Borcovi  
in signis.

Novi equidem, nullam esse habendam rationem infidelitatis Ethnicorum & Iudæorum, in afferenda veritate Evangelica, quod ait Borcovi: sed hoc tunc demū valet, si ea, quæ dicimus, a Christo nob̄is revelata sint. Si verò a nulla revelatione tali pendeant, sed a nostro cerebro profecta sint, pudēre nos, qui Christi sum⁹, vehemēter debet talium, ne unā cum nostris commentis, Christū etiam ipsum Dominū & magistrum nostrum infideliisti genti ridendum jure exponamus.

Quando non fit  
habenda ratio e-  
thnicorum & Iu-  
dæorum.

Apostolos successores nullos habere probaveram. Quia sunt fundamentum ecclesiæ. Hoc verò, nempe fundamentum esse ecclesiæ, nemini pr̄ter Apostolos competere potest. Tacite enim contradictionia sunt: Fundamentum esse ecclesiæ, & successorem habere. Nam qui fundamentum est ecclesiæ, is primus ut sit & omnia ea sufficienter tradat, quæ ad ecclesiam constituendam pertinent, necesse est: Successor autem nec primus esse potest; nec constitutus jam omnibus, quæ ad salutem necessaria sunt, iterum eadem constitui possunt. Borcovi: hoc instantiā eorum, qui rem publ. aliquam instituunt, & ita fundamentum sunt istius Reipub. & tamen successores habent, infringere conatur, addito exemplo Numæ & Romuli, Romæ, Lechi item & Craci, in Pólonia. Quod scilicet eundem locum & cum eadem potestate Numa post Romulum, & Cracus post Lechum obtinuerint. Sed instantia impar est. In rebus publ. enim politicis, nec solent nec etiam possunt simul & semel omnia constitui, quæ ad eas perficiendas pertinent: sed unus aliquis earum facit initium, alii verò eas augent & perficiunt; & perfectiores semper sunt in progressu, quam ab initio: At in Repub. Christiana simul & semel omnia extiterunt, quæcumque ad eam perpetuis temporibus conservandam requiruntur; & perfectissima ea fuit ab initio, reliqua verò secula omnia ad corruptionem inclinârunt, adeò ut fundatores rerum publicarum politicarum infantem párere, fundatores autem Reipub. Christianæ adultū virū statim produxisse dici possint. Aurea fuere sola Apostolorum secula: reliqua omnia illis deteriora. Apostoli enim normam fi-

Apostoli nullos  
habent successo-  
res.

Instantia Bod-  
covi: ineptas

Respublica Chri-  
stiana ab initio  
perfectissima,

dei & vita præscriperunt, & præscribendi potestatem habuerunt: Reliqui vero omnes, quicunque post illos in Christi ecclesia præfuerunt unquam aut præsunt, secundum præscriptam ab Apostolis fidei & vita normam, tum ipsimet credere & vivere, tum alios ad eandem normam sectandam cohortari tenebantur & tenentur. Et qui plus sibi arrogant, hoc est, qui idem sibi jus, quod Apostolis datum erat, tribuunt, illi Antichristi spiritu reguntur. Non negatur semper fuisse, qui post Apostolos, alios docuerint: sed eos, ut Apostolos id fecisse vel facere potuisse, non tantum negatur, sed tanquam sumum scelusa nobis accusatur.

Apostolos creatos esse a Christo, cum coenam institueret sacerdotes, quod impudenter dixerat Miedzibozius, falsum esse docueram eo, quod Christus nunc in celis seipsum coram Deo offerat. Quod si verum est, quomodo fieri potest, ut eundem sacerdotes in cena Deo offerant? Borcovius respondet, me non probare, quod affirmo. Hoc quam verum sit, ex eo, quod paulo ante repetii, videat benevolus lector. Addit deinde, hoc, quod ego affirmo, causam suam juvare. Non enim, ait, alio modo se nunc offert, quam per manus ministrorum suorum, ut ita sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & quidem in eternum. Quod non erit verum, nisi id, quod cruento modo semel fecit, incruento modo, ad finem usque mundi faciat per manus ministrorum suorum. Estne hic aliquid rationis Borcovi? Cur verò fabulosam istam sententiam vestram nobis ita superciliosae obtruditis? Christus ipse semet ipsum offert in celo coram Deo; & ut locus sacrificio legali anniversario nullus erat, praeter sanctum sanctorum, sic hodie nullus sacrificio Christi locus datur, extra ipsum celum, quod sancta illa sanctorum figurabant: Borcovius verò ait, Christum se offerre in terra per manus sacerdotum. Et tamen indignatur stupiditatem sibi & suis objici, quod non intelligant, quid sit sacrificium Christi, cum si qua in re Theologia Pontificia, certe in hac quam maxime a veritate Evangelica aberraverit,

*Blasphemie  
Borcovis.*

Negat porro a sacerdotibus creari creatorum, quod ego objecram: sed datum Christum vel corpus Christi confici a sacerdote. Quid verò aliud est re ipsa, confici quam creari, cum tam ad conficiendum aliquem requiratur, ut ante, quam conficiatur, non sit, quam ad creandum illum. Verba diversa sunt, res eadem. Confici autem Christi corpus ideo dicit Borcovius, quod vi verborum Christi, quae sacerdos profert, sub speciebus panis & vini constituatur: & addit, id absurdum esse doce, & nos convince, quod scio nunquam facies. Ego verò putabam, Borcovio incumbere probationem tanti erroris & tantæ blasphemie,

anit, Christum scilicet vel corpus illius constitui, quando proferuntur a sacerdote (homine interdum impius) verba quædam Christi? Absurdum autem & Christiana religione indignum esse istud commentum, nonne ab aliis & a nostris, & a me etiam suprà demonstratum est? Repetam quæ sunt præcipua. Christus nunc nec carnem, quam pro nobis dedit, nec sanguinem, quem pro nobis fudit, habet aut habere potest. Factus est enim in spiritum vivificantem. Quomodo igitur cū carne & sanguine sub speciebus panis & vini constitui potest? Christus in cælos profectus, manebit ibi usq; ad tempora instauracionis omnium. Quomodo igitur in terris esse perpetuò potest? Panis post prolata a sacerdote verba, aliud nihil quam panis esse deprehenditur, & non secus corruptitur, tum sponte sua, tum ab aliis accidentariis casibus, quorum unus est mus miser, atque ante verborum istorum prolationem. Quomodo igitur in corpus Christi commutatus esse dici potest, quod, nulli pro rursus corruptioni obnoxium esse, ipsa res loquitur, & sacra literæ testantur uberrimè? Sed quid ego his ascribendis tempus ero? Iam pueris nota est ista vestra idolatria, & jam pridem omnibus innotuisset, nisi, qui carnales sunt, hujuscemodi mysteriis, quæ ipsos securos esse sinunt, summopere delectarentur, & malent credere, panem mutari in corpus Christi, se vero, quando comedunt istum panem, Christi corpore vesci, & ita vitam æternam consecuturos, quam abnegata omni impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, justè & piè vivere in hoc præsenti malo seculo.

Figmentum meum, imo luculentum mendacium appellat, quod dixerim, Pontificios, si quando super hoc errore urgentur, dicere solet, metuere se, ne terra sibi dehiscat. Ego vero magni lapsus accuso Borcovium. Non enim dixi, Pontificios metuere, ne terra illi, hoc est, alii, cum quo colloquuntur, dehiscat, sed sibi. Hoc autem an verum sit, si nobis fidem non habet Borcovius, suos interroget Pontificios, quibus hoc in ore est frequentissimum, cum summa absurditas opinionis hujus, quod a sacerdote vel vitrico pistus panis, accidentibus quinque verbis, quæ sæpe homo impurus pronunciat, quaque omnia simul non habentur in sacris literis, transmutetur in verum Christi corpus, & ita ex pane Deus fiat, qui tamen scipsum a corruptione conservare nequeat, & de quo muribus etiam lex posita sit, si fortasse eum corruptant vel absument: Sinc me, quæso, race ista, metuo, ne terra mihi tecum dehiscat, qui istas audiam ex ore tuo blasphemias.

Apostolos creatos esse a Christo sacerdotes, cum Miedzibozius probaret sola antiquitatis autoritate, ego istud probationis genus suum

Argumēta contra  
Pontificiorum de  
Christi corporis  
& sanguinis in  
cæna existentia &  
sententiam.

1. Cor: 15. 48.

Act: 1. 31.

Cur hodie duret  
idolatria Pon-  
tificiorum de ege-  
na Domini sea-  
tentia.

Lapsus Boreo-  
sis.

tilissimum esse docui, cum, quæ sola hic valet antiquitas, nempe A postolica, tanti erroris insimulari nequeat: reliquæ verò antiquitatis autoritatem nullam esse debere. Respondet Borcovius, potuisse id eum alio modo facere. Hoc equidem dubito. Sed utut verum sit, quomodo excusari potest is, qui, cum aliter posset & deberet, modo infirmissimo, & qui nullus revera est apud adversarium, aliquid comprobat? Isto modo agere, est personæ non veritatis defensioni studere.

Sed etiam aliquid dicit, quod fortasse pro ratione haberi vult Borcovius, dum ait: Solam quidem Apostolicam autoritatem valere debere in religione. Sed quid ista antiquitas crediderit, melius illos scripsi, qui ei viciniores fuerunt, quam nos, qui nuper nati simus. At hoc est desperationis indicium. Nam quid Apostoli senserint, rectissime iurant, qui omnia ad illorum scripta in religione redigunt & examinant. Hoc verò tam is, qui ante triginta, quam qui ante 1600 natus est, præstare potest. Itaque non ante victoriam triumphum cano: sed rem tantam tam negligenter tractatam a Miedzibozio fuisse, iterum atque iterum dico.

Non necesse porrò esse, ut aliquis certus deligatur, qui cænam Domini administraret, sed omnes hoc fideles facere posse, exemplo ecclesiæ Corinthiorum docueram. Ibi enim nec Apostolus, nec vicarius Apostoli erat: & tamen ceremoniam hanc celebrare jubentur. Apostolum nullum fuisse, clarum est, quod Apostoli consilium non requisiuit super variis, de quibus ad eos Paulus scripsit: Vicarium nullum fuisse, inde constare dixeram, quod neminem Paulus nominet. Verisimilius autem fuisse, ut ad eum scriberet Paulus, quam ad ecclesiam, si aliquis ibi fuisset. Cui nunc & illud addo: In tot & tantos errores prolapsuros Corinthios, vel saltē in illis tam diu hasuros non fuisse, si aliquem ab Apostolo sibi præfectum habuissent, nisi velimus, Paulum stupidum aliquem & rerum divinarum usque adeo ignorantem illis præfecisse, qui pleraque illorum, de quibus ad eos Paulus scribit, decidere non potuerit, quod longè absurdissimum est. Hæc ita Borcovius impugnat: Totum hoc, ait, nihil est. Facile est ita dicere. Sed rationes cur non tollit? Ait, potuisse esse aliquem, ad quem pertineret cænam administrare. Rationem etiam addit, cur Paulus ad eum non scriperit, Quia non ille peccabat circa usum sacramenti, sed ceterus. Ego verò dico: Quomodo successor Apostolicus ignoravit modum corrigendi tantam ἀταξίαν? Si scivit, quomodo tacuit? Si non tacuit, quid opus erat institutione Apostolica? Quid opus erat censere, quomodo illis antea id, quod a Domino accepérat, tradidisset?

Vnde sensus Apo-  
stolorum de re a-  
liqua peti debe-  
at.

Administratio  
cænae cur ad o-  
mnes fideles per-  
mitat.

disset, siis, qui unā cum illis degebat, successor Apostolicus, idem illis proponebat?

Instantiam meam, quod Christus etiam Angelos ecclesiarum, cum penes illos culpa esset, reprehenderit, non cōctum, sic tollere conatur Borcovius, quod non necesse fuerit, ut eodem modo Paulus faceret, & potuisse eum habere causam, cur aliam rationem teneret in reprehensione, quam Iohannes (sic habet Borcovius) & non semper omnia debere fieri eodem modo. Sed hoc prorsus est infirmum. Nam in rebus similibus simil modo agi debere, licet non sit absolutè necesse, est tamen valde verisimile: & hoc ad id, quod volo, obtinendum, satissimino est.

Baptismum aquæ ad salutem necessarium esse cum Miedzibozio Borcovius affirmat, quia Christus dixerit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Sed voce aquam hoc in loco aquam elementalem significari, probandum erat Borcovio, alioquin & quicunque invocatione argumentatio ipsius laborabit, & nihil valebit: non verò in nos inveniendum, qui non ita, ut ipse vel ipsius ecclesia locum illum, & alios multos intelligamus. Ad ecclesiæ enim pontificiæ nutum sacras literas explicandas esse, nulla lex, nulla ratio cogit. Interim quia tantum nos perstringit Borcovius, equidem persuasum habeo, illum quod directè ad ea, quæ de loco Ioh. 3. sentimus, responderet, non habuisse.

Sed hoc misso, cantilenam Miedzibozii repetit Borcovius, extraordinariè aquæ baptismum à quovis dari posse propter summam necessitatem, ordinariè autem non nisi a legitimo Ministro? ad quam responderam ego: sed Borcovius suo more ista prætermisit. Summam esse necessitatem aquæ baptismi, error summus est. Vocem extraordinariè locum apud eos nullum habere, qui simpliciter baptismum aquæ ab iis, quorum id muneric non erat, administrari posse sentiunt, ostensum etiam erat. Ordinariè autem non nisi a legitimo ministro dari posse baptismum, cùm videret erroris convinci posse. Borcovius ex eo, quod Petro Apostolo præsente baptizati fuerint fideles Acto. 10. nempe ab alio, qui non esset legitimus Minister, ait: *An non potuit ibi esse præter Petrum alias minister legitimus?* Sed hoc quâmi sit desperatum, videat prudens lector. Scriptura enim tantum fraterum, qui cum Petro fuerint, mentionem facit. Successorem vero Apostolicum cum Apostolo peregrinatum fuisse, nec testatur historia, nec verisimile est. Sed præter hoc exemplum, cur etiam ad alia non respondet Borcovius, quæ non minus ostendunt, baptismum aquæ posse ordinariè absque ministro conferri? Et haec tenus de missione,

Ioh. 3. non de aqua  
qua elementari  
sermo est.

Baptismus a quo ab aliis præter ministros admissus.

sione, in qua, an Miedzibozio satis fecerit, judicet pius lector. Hoc tamen moneo: non ex eo censendum esse, an aliquis alicui satis fecerit, si ille, adversus quem scribitur, vel alii ejus similes, id agnoscant, Hoc enim rarissime fieri solet, ut exemplum Christi, qui semper adversariis suis satis fecit, satis superque docere unumquenque potest. Laudo autem & miror Borcovii candorem, dum ait, *In quo liberum cuique judicium relinquō*. Hoc enim haec tenus nec ipse nec alii ejus similes fecerunt, nec facere possunt salva suæ ecclesiæ autoritate, quippe quæ omnes necessariò sub anathematis poena credere vult, quæcunque illa dictat.

**REFUTATIO CAPITIS XI.** cujus titulus est:  
**Prædicantes Evangelicorum & Anabaptistarum non ordinari per impositionem manuum: ex quo fieri, ut Ministerium in Ecclesia obire nequeant.**

Repetitio dictio-  
rum.

**P**ro obtainenda sua autoritate fictitia Pontificii sacrificuli, tandem ad ordinationem, quæ fiat per manuum impositionem, recurunt, & quia eam ab initio in usu fuisse legitur, concludunt, hodie nemini licere, ministrum verbi Dei esse, nisi sic isto modo ordinatus. Ad hoc ego responderam, nec doceri posse, istos qui tempore Apostolorum munus docendi robabant, omnes ordinatos per manuum impositionem fuisse: nec etiam si doceri possit, nec esse, ut idem hodie fiat. Non enim exempla, sed præcepta tantum Apostolica nos necessariò obligare, ea que non omnia, sed tantum ea, quæ sunt perpetua & universalia. Quæ enim aliis sunt generis, ea etiam nos non obligare, ut præceptum de suffocato & sanguine docet. Adhibitam etiam fuisse dixeram hanc ceremoniam ab initio jure, quia Spiritus sanctus simul dabatur iis, quibus manus imponebantur: hodie vero, quia nihil tale detur illis, quibus manus imponuntur, non necesse etiam esse, ut id fiat; imo interdum utilē esse, ne id fiat, ad praescindendam omnī superstitioni ansam & occasionem. Fieri tamen denique posse, tanquam aliquid ad decorum & ordinem ecclesiæ pertinens. Quia respōsitione quicquid hac de re dici potest, dissolutum est. Non quiescit tamen Borcovius, & ne cedere videatur, idem quod Miedzibozius dixerat, iterare non dubitat. Recenset Apostolos ordinasse quosdam manus impositione, nempe Timotheum & Titum: Timotheum illud idem fecisse, & tandem concordit: *Iaque non est dubium, quin haec ratio ordinandi semper fuerit usitata, & ab Apostolis ipsis descenderit*. Sed cur primum omisit Borcovius, quod Miedzibozius addiderat in recensendis

fensis ordinatis, nempe ordinationem Pauli & Barnabæ ab Aposto-  
 lis: & aliorum a Paulo & Barnaba? Itané de fendifit Miedzibozius? I-  
 tané veritas inquiritur? Tacendo assentiri videmur vel errorem a-  
 gnoscere: sed rectius confitendo. Pudeat igitur Borcovium cum  
 Miedzibozio, quod Paulum ab Apostolis, & a Barnaba vicissim alios  
 ordinatos fuisse dixerit Miedzibozius. Deinde quid effecit Borcovius  
 iterando otiosè verba alia Miedzibozii? Nam nec Tito manus im-  
 positas esse uspiam legitur: nec ex eo, quod Timotheo impositæ fue-  
 re, sequitur solum id Apostolum fecisse, vel omnibus aliis etiam im-  
 positas fuisse, vel de nique, quod maximum est, id necessarium esse.  
 Timotheo porrò præceptam fuisse manuum impositionem, quæ mi-  
 nistrorum ecclesiæ ordinationem spectat, totum falso vel saltem  
 incertum est. Nam ex eo, quod præcipit Paulus, ne citè cuiquam na-  
 tus imponat, licet tandem de tali manuum impositione sermo esset,  
 quæ ordinationem ministrorum spectat, nullo modo sequitur, præ-  
 ceptam fuisse, ideoque necessariam manuum impositionem. Potest  
 enim non minus præcipi, ut quis in re indifferenti, & ad decorum  
 tantum & ordinem spectante cautus sit, quam in re necessaria & præ-  
 cepta. Præterea nihil affert Borcovius, quo probet, verba Pauli de  
 impositione manuum, quæ ordinationem ministrorum spectat, in-  
 telligenda esse. Nam quod ex verbis Pauli sequentibus, nec communi-  
 caveris peccatis alienis, Borcovius extruit, hoc modo, quod his faciunt,  
 qui ad sacra capessenda indignos admittunt, planè ruinosum est. Primùm  
 enim nō constat, cum peccare vel peccasse, qui ambit munus docen-  
 di, cum fieri possit, ut & antea pius fuerit quam ambiret, & func, cum  
 munus istud ambit, recte se gerat. Quomodo igitur peccatis alienis  
 communicare potest is, qui munus id ei cōcedit, vel eū ad id admittit?  
 Deinde, si de peccato ambientis constaret, non dicendū fuisse, nem-  
 ni cito manum imposueris, sed nunquam. Nam quod per se malum est,  
 nunquam fieri debet: quod verò citè fieri prohibetur, id tandem fieri  
 posse, tacitè subindicatur. Sensus igitur longè verior est, Paulum hic  
 agere non de admissione (ut Borcovius ineptè loquentē Apostolum  
 facit,) ad pœnitentiam. hoc enim non est penes illum hominem, sed  
 de amissione peccatorum resipiscitum, ad ecclesiā, inter quos pec-  
 catores possunt esse seniores etiam. Et si ex præcedentibus de his ju-  
 dicium faciendum est, de senioribus propriè, quatenus peccant, & de  
 inde iterum resipiscunt, Apostolum loqui statuendum est. Sed effo,  
 Paulum loqui, de ministris & eorum ordinatione (quod tamen fal-  
 sum esse nihil dubitamus) hincnē inferri potest ista generalis conclu-  
 sio: Ergo hæc ratio ordinandi semper fuit usitata? Atqui posita una at-

Borcovius qua-  
dam disimu-  
lat.

De loco 1. Tim: 5.

que altera specie non ponitur genus. Esto porro eam semper fuisse usitatam, esto eam ab Apostolis descendisse, num hinc sequitur, ergo est necessaria prorsus? Nihil minus. Ab Apostolis descendenterat, & tunc semper usitatum fuerat, præcepto Apostolico lato, ne sanguine & suffocato vescerentur fideles, & tamen idhodie neminem obligat. Itaque nihil prorsus dixit Borcovius, quod ante eum Miedzibozius non dixerit, & tunc refutatum non sit. Sed priusquam ad rem ipsam accedat Borcovius, suo more nos pungit, dum ait, Evangelicos non tam audaces esse, quam ego sim & nostri. *Evangelicos enim, ait, hanc consuetudinem observare, & manus Ministris suis imponere, ne videantur a consuetudine Apostolica recedere.* Laudat Evangelicos scilicet, quantumvis valde inconstanter, ut nos illos in ordinatione imitemur, ipse verò carpendi ampliorem habeat occasionem. Quomodo enim tractent Evangelicos, qui ordinationem istam gloriantur, non nescimus. Dum verò nos quid Apostoli fecerint, nihil pensi habere, & ita nobis in hac nostra sive audacia sive temeritate placevere, ait, ut nihil nobis propositum esse videatur, quam ut ne quid in fide sanū & integrū relinquamus, gravis in eo error & calumnia est. Aliud enim est, quod Apostoli in externis ceremoniis fecerunt, nolle pro norma vite nostræ necessaria habere: aliud nihil pensi id habere, cum confiteamur, ea, quæ illi fecerunt, sacrosanctæ in ecclesia observari posse. Reliquum, quod Borcovius ait, verum esse agnoscimus, si Borcovius per vocem fidei, suam & Pontificiorum confessionem intelligat. Hæc enim, quia tota corrupta est, tota etiam repurganda est. At si de fide illud Apostolica intelligit, vehementer errat & graviter nos calumniatur. Hoc enim unicum nobis propositum est, ut sola doctrina Apostolica inter omnes, qui Christi nomine gaudent, obtineat: & nisi hoc nobis propositum esset, cur tantam invidiam in nosmetipso converteremus eorum, qui odio nostri ita flagrant, ut, si Deus permitteret, facile nos omnes ad internecionem deleturi sint.

Sed nondum finis est punctuationum. Addit enim, Non mirum id esse, quod modò dixerat, nos enim ad evertendam Christianam religionem natos esse, ut testantur monstra opinionum, de quibus suprà dictum est. Ego verò puto omnibus manifestum futurum, ex eo, quod ad ista monstra responsum extat, nullum esse in nostra confessione monstrum, & nos, alto Dei consilio, ad erigendam & iterum excitandam Christi religionem natos esse. Sed nunc ipsam rem videamus.

Nego impositionem manū fuisse aliquid perpetuum aut universale, etiamsi ab Apostolis usurpata, addo etiam, ut error tāto melius appareat, præcepta fuisse. Quia non omnia præcepta Apostolicas int̄ hujue

*Affutatio Borcovii.*

*Error & calumnia Borcovii.*

*Cur non sit necessaria manuum impositione.*

hujus generis, nempe perpetua & universalia, ut ex præcepto de suffocato & sanguine appareat. Borcovius ad hæc: *Egregia verò ratio, quia illud in usu esse disiit, idcirco alia quoque quæ ab Apostolis frequentata sunt, in usu esse non debent.* Ego contra: *Egregia verò fallacia, ex me respondentem facere argumentanteim.* Miedzibozius est qui dicit, *necessariam esse ordinationem per impositionem manuum, quia scilicet in usu fuerit tempore Apostolorum.* Hanc rationem dum ego ita tollo: non omnia esse necessaria, quæ tempore Apostolorum in usu fuerint. In usu enim fuit abstinentia a suffocato & sanguine, & tamen non est necessaria, an rectè respondentis officio perfunctus sim, judicent omnes disputandi artis periti.

Sed urget me Borcovius, quod præceptum illud Apostolicum adhuc durare beatum, cum nō possit probari ex sacris literis, illud esse abrogandum: se verò liberū ab eo esse, per traditionem ecclesiæ, quæ ab Apostolis didicerit, hoc ad certū duntaxat tempus institutū fuisse. Ego verò præceptum illud Apostolicum temporaneum fuisse & particulare, hinc colligo, ut etiam in defensione mea docueram, quod Paulus post latum illud, disertè scribat: *Nemo vos judicet in cibo & potu, & iterum, Regnum Dei non est cibus & potus, & iterum, Cibus nos Deo non commendat.* Quod autem nihil ego contendam recipiendum esse, nisi quod disertè & expressè in scriptura reperiatur, ea magna iterum calumnia est Borcovii. Non solum enim alibi, sed in hac ipsa defensione mea aliquoties apertè dixi, nos omne illud proscriptura sacra habere, quod ex ea necessario deduci possit, & ita omnes illi sentiunt, qui a Papatu secesserunt. Licet in hoc rursus ab illis & a pontificijs etiam dissentiamus, quod, quantumvis æquè certa sint, quæ ex sacris literis deducuntur, atque ea, quæ in illis expresse & ἐντῷ̄s habentur, sentiamus tamen, non æquè necessaria esse ad salutem. Nam quæ necessaria sunt ad salutem, ea non ex consequentiis pendere debere, maxima pars eorum, ad quos Christi religio pertinet, hoc est, hominum simplicium & rudium docet, qui nullas interdum consequentias capere possunt, & tamen omnia ad salutem necessaria credere tenentur. Iam quod Borcovius ait, se ob traditionem ecclesiæ, non habere pro necessario, præceptum istud Apostolicum de suffocato & sanguine, in eo pertinaciam quidem suam prodit: sed an rectè id faciat, nec probavit, nec probare unquam poterit. Et si tamen hic aliquid ecclesiæ tribuendū esset, non alia de causa id fieret, quam quod illa ex novi Foederis analogia collegerit olim & hodie colligat, istud præceptum ad tempus tantum durare debuisse.

Ierum autem prodit inertiam aut astutiam suam Borcovius, cum

Fallacia Borcovii.

Col: 2. 20.  
Rom: 14. 29.  
1. Cor: 8. 8.

Quicquid ex finē  
era scriptura de  
duci potest, reci  
piendum est.

Quæ non extant  
ἐντῷ̄s in sacri  
literis, ea ad salu  
tem non sunt ne  
cessaria simplici  
ter.

cum sic dicit deuò: *Præceptum, inquis, de sanguine & suffocato non fuit universale nec perpetuum. Idem igitur de impositione manuum censeri debet, quasi verò unum ex alio inferri possit, aut quod in uno valet, in altero quoque valere oporteat.* Ego enim non ita stupidè argumentor: sed ex eo, quod aliquod præceptum Apostolicum fuit, & tamen non fuit perpetuum aut universale, colligo, magis illum argumentari, qui ex eo, quod aliquando ab Apostolis præceptum vel usurpatum aliquid fuerit, colligit, illud perpetuum esse & universale.

Iam quod aliā rationē impositionis manuum esse ait Borcovius, quām præcepti de suffocato & sanguine, & illam cessare non debere, quippe cuius finis non sit sublatus, qui est, sanctificare ministros ad cultum divinum destinatos, in eo iterum graviter errat. Pro concessō enim sumit tacitè, ita præceptam fuisse olim impositionem manuum, ut præceptum erat de suffocato & sanguine, cū tamē nusquam id extet, nec ex ullo sacrarum literarum loco colligi possit. Nostrum verò argumentum sic augetur: Si, quæ Apostoli præcepunt, non sunt necessaria omnia, quomodo ea necessaria erunt, quæ non præceperunt, sed tantum fecerunt. Esto igitur, in hunc finem usurpatam fuisse impositionem manuum, quem Borcovius nominat, quid totum hoc ad reī facit, cū hinc aliud nihil inferri possit, quām illud idem etiam hodie fieri posse, quod nemo negat: necessariò autem fieri debere, nullo modo. Ad hoc enim præcepto eoque perpetuo & universali, quod scilicet cum universa Christianæ religionis analogia conveniat, omnino opus est.

Sed rationē addit Borcovius, quare durare debeat impositionem manuum, *Quia sit Sacramentum Ecclesiæ suæ.* O imperiosam rationē. Quis verò nos docuit esse sacramenta, (eaque fortasse septem) ecclesiæ? *Si hoc neges,* ait Borcovius, *negandum tibi erit, baptismum & cœnam esse sacramenta, cū quicquid hæc duo in se habeant, in illo etiam contineri facile probari possit.* Sed quid vetat, quod minus imparia sint ea, quæ Sacramenta tu appellas, hoc est, ut unum sit necessarium & perpetuum, alterum verò non? Nonne in baptismo & cœna id ad oculum appetit? De baptismo Apostolus ait: *Non misit me Christus ad baptizandum.* Vnde necessariò colligitur, baptismum aquæ non esse necessarium ad salutem. Ad omnia enim, quæ ad salutem necessaria sunt, exequenda, Christus Apostolos misit. De cœna verò in eadem Apostolus ait: *A Domino accepi, quod vobis tradidi.* Vnde necessariò colligitur, cœnæ usum esse ad salutem necessarium & perpetuum, & universalem. Quomodo verò idem in impositione manuum contineri

Non omnia sa-  
cramenta sunt  
paria.

1. Cor: 1. 17.

2. Cor: 11. 28.

neri dici, aut probari potest, quod cœna domini in se habeat, cùm, præter id, quod cœna Domini præcepta est, impositio verò manuum minimè, cœna Domini cultus divini portio sit. est enim commemo-  
ratio mortis Christi, donec ipse veniat: huic verò simile quid de im-  
positione manuum dici aut probari posse, planè est incertum, imò  
prosul falsum.

Cæterū cùm obliquè Borcovius innuit, Episcopum conferen-  
tem sacramentum ordinationis, Spiritum sanctum dare posse, quia  
sacraenta id efficiant, ad quod a Christo sint instituta, hoc autem esse, ut  
gratiam spiritus sancti conferat, nec obstat improbitatem conferentis,  
cùm & à malis ministeris sacramenta efficaciter ministrari possint, cùm  
quicquid faciant, non sua sed Christi virtute faciant, errorum plenam  
nobis narrat opinionem. Sacramentum ordinationis nullum est.  
Episcopus, quantumvis ipse pius, Spiritum sanctum miraculosum  
nemini largiri potest, quia dona ista hodie cessarunt: Spiritus autem  
sancti perpetuò durantis donum, acquirendum est non per impositi-  
onem manuum alterius, sed vera in Christum fide, obedientia, & pre-  
cibus. Ob hæc enim spiritus sanctus promissus est. Sacraenta a Chri-  
sto instituta esse, nempe multa, error magnus est. Præter unam enim  
cœna Domini ceremoniam, nullum præceptum de alio sacramento,  
quod vocant, extat. Sacraenta porrò gratiam Spiritus sancti con-  
ferre, pars idolatriæ est. Nam cœna Domini, quæ sola ita vocari me-  
retur, non gratiam ullam confert, sed illorum, quibus gratia collata  
est, actio est, quâ Deo & Christo pro morte Christi gratias agunt: &  
qui gratiam sibi per illam conferri credunt, ii indignè quodammodo  
ad eam accedunt, & ita judicium sibi meti ipsiis (ut Apostolus ait) co-  
medunt & bibunt. Improbum hominem posse sacramenta conferre  
efficaciter, putida prorsus est oratio. Nam si impius sit intus, & talis  
non agnoscatur ab hominibus, quomodo Deus per istiusmodi ho-  
minem dona sua spiritualia, qualia in sacramentis dari credit Borco-  
vius, largiatur? Si verò ita impius sit, ut talis esse appareat, indignus etiā  
talis est, qui Sacraenta administret. Christi deniq; virtute ministros  
malos omnia facere in sacramentis administrandis, utut absurdum  
sit & impium, quia tamen pernecessarium est Borcovio cum suis, ita  
audacter pronunciatur, cùm tamen nec optimos ministros virtute  
Christi quicquam tunc facere, probari possit. Nulla enim ceremonia  
est extēra in Christi cætu, cuius administratio ad solos ministros  
pertineat: sed quicquid hic fit, id ob decorum & quendam ordinem  
justum fieri censendum est, & qui aliter sentiunt aut faciunt, ii venun-  
dant verbum Dei, & pietatem lucrum esse autumant.

Errores Borco-  
vii.

Porrò cùm durationem istam per impositionem manuum non necessariam hodie esse probassim eo , quod Paulus omnia Episcopi requisita satis prolixè commemorans, nullam istius impositionis manuum mentionem faciat, respondet Borcovius denuò, ut suprà etiam fecerat , Paulum ideo mentionem nullam fecisse illius impositionis, quia de eo loqueretur, & eum instrueret, quem jam ordinatum esse constabat. Hoc verò quam sit futile , tum per se constat. nulla enim ratione a Borcovio fulcitur, tum suprà etiam indicatum fuit. Summa est, Quod non nisi ineptissimè & præsterre ei, qui jam ordinatus est, ea, quæ a Paulo commemorantur, officia præscriberentur : & inter alia, ut sit ad docendum aptus. Nam hoc omnino ordinationem istam & manuum impositionem præcedere debet , nisi stipites ordinari posse, dicamus.

*Afferratio Borco-  
vii ridicula.*

Dixeram ego , Timotheo fuisse impositas manus præsbyterii, & hinc apparere , alias etiam præter Apostolos, vel Episcopos, nempe seniores ecclesiæ, qui Præsbyteri etiam appellantur, potuisse manus Episcopo imponere. Borcovius hoc negat, & ait, *Episcopos fuisse illos præsbyters, eosque tres. Nam a tribus Episcopis ex instituto Apostolico ordinari debuisse Timotheum Episcopum , & ita communiter omnes interpretes affirmare.* Sed quomodo tandem non pudet Borcovium istarum nugarum? Ex canonibus ecclesiæ suæ metitur tēpora Apostolorum. Promat S. scriptura testimoniū, nisi totam suam causam suspectam reddere velit. Interpretum autem autoritate eum premere, qui rationib⁹ agat omnia, quā sit stupidum argumentum, jam pridem omnibus cordatis notum est. Quanquam hoc falsum esse non nescit Borcovius , nisi forte p̄ omnes interpretes suos Pontificios tantum intelligat , quod niris puerile esset. Sunt enim tot interpretes, qui a Pontificiis secesserunt, quot sunt Pontificii, si non plures.

Conjecturam, quod ab Evangelicis hac ratione gratiam inire voluerim, largior Borcovii ingenio. Nam is, cùm non habet, quod solidè respondeat, illudere altis solet.

Ad exempla illorum, qui, cùm missi non essent, tamen prædicārunt, post varia hystrionica verba, quæ hic ascribere piget me & paenitet, ita respondet ut Miedzibozius. *De Philippo ait, eum quia Diaconus fuit, in ordinatione sua, prædicandi etiam potestatem accepisse. Sed quomodo id probat Borcovius?* Nuda affirmatione, quæ nuda negatione refellitur. Etsi probari id posset, causam Borcovii pessundaret. **Constat** enim, eum etiam prædicare posse, qui ad id non sit missus. Non enim ad id constituebantur Diaconi, ut docerent. *De dispersis ait, docuisse eos ex illis, qui missi & ordinati fuerant.* Sed unde constat, missos

Borcovius idem  
repetit, & ri-  
gula dicit.

missos ad prædicandum aliquos fuisse ex illis? præsentim cum Apostoli unâ cum illis antea Hierosolymis habitarent, & iidem Apostoli omnes ibidem remanerent. Sanè nihil hîc est, quod aliquam necessitatem inferat, nisi doceatur neminem docere potuisse unquam, nisi qui missus esset, quod haec tenus nemo probare potuit. Sed cur non defendit Miedzibozium Borcovius? Is enim dixerat, verisimilius esse, quicquid ab illis dispersis factum est, voluntate Apostolorum factum esse. Vnde contrarium ejus, quod tuetur Borcovius, colligi posse dixeram. Tacitè enim concedit Miedzibozius, potuisse Apostolos alicui permittere, ut doceret, qui non erat ad id missus. A quo enim tot mille missi essent? Vnde potò sequitur, missionem ad prædicandi munus non esse necessariam.

Denique an sine causa Miedzibozium criminer, qui ad argumenta Socini nihil responderit, judicet iterum prudens lector. Socinus ait: *Si in Evangelio annunciendo, non omnino necessaria est ritè ad id munus facta electio, quantumvis jam divinitus certis quibusdam hominibus provincia data fuerit, multo minus certè necessaria omnino erit, in divinis oraculis, quæ omnibus ad intelligendum proposita sunt, explanandis & explicandis. Tantum abest, ut ministris, de quibus loquimur, qui ex constituto jam ordine & ratione, inter eos, qui de religione idem quod ipsi sentiunt, ritè ad hoc munus antea electi fuerunt, quisquam eiusdem muneris controversiam meritò movere possit.* Hoc totum sicco pede transit Miedzibozius, & tamen, quantum pondus sit in eo, agnoscat & quus & diligens rerum & stimulator. Borcovius ait, ea sponte sua corrue. Quare verò *Quis enim concedat, ait, Socino non necessariam esse electionem & missionem iis, qui Evangelium annunciare volunt?* At non hoc est robur argumenti Sociniani, nec id dicit Socinus; sed, ex eo, quod tempore Apostolorum in te multò majoris momenti, nempe in annunciendo Evangelio & runc, cum provincia ista certis hominibus data esset, licuisse constat, infert, hodie etiam idem in re minoris momenti, nempe in explicandis oraculis divinis, olim annunciatis, quæ omnibus ad intelligendum proposita sunt, licere, & porrò nullo jure illis controversiam muneris moveri, qui jam ab iis, quos docent, electi & approbati sunt.

Absoluta hac impugnatione sua Borcovius, in epilogi librinon pauca addit, quæ brevi etiam refutatione indigent. Ait, *nos scripta nostra nostris duntaxat hominibꝫ distribuere solere, seduloque ea vere, ne ad se aliqua ratione perveniat.* Sed hoc splendidū scriptorii Borcovii argumentum est. Paucissima potius nostra polemica scripta inter nos distribui, & maximam eorum partem, ad alios, qui non sunt no-

stræ confessionis, deferri sciat Borcovius. Deinde ait, *parum hoc referre: nec videre se, quid incommodi inde acceperim: Imò aliquid me lucratum esse. Nam post laborem me diu otiatum esse, quo quidem otio alioqui mibi frui non licuerit.* Ad hos cavillos hoc unum habeatis: *Otium post laborem istum nullum sum consecutus. Nam est, quod præter illa odiosa agamus.* Tum ait, *se nihil omisiſe in defensione mea eorum, quæ alicujus momenti esse videbantur.* Hoc quām verum sit, judicet lector ex iis, quæ ab initio hujus responsionis diximus. Porrò quæ de papa ecclesiæ Romanæ dixi, ea, *nec ad rem pertinere, & non tam responsione refellenda, quam flagris vindicanda esse ait.* Quomodo verò ad rem non pertinet id, quod perpetuò a Miedzibozio pro concessu sumitur, cùm sit ipsissimum κειμένον? Ecclesiæ scilicet veram Christi, esse ecclesiæ Romanam, vel ejus præsidem Papam? Imò si quid ad rem pertinet, hoc in primis est. Nam hoc stante, frustra esset, quicquid de hac questione disputatur. Iste verò vindicarum modus, quid, quæso, spirat? Spiritumne Christi mansuetum, an Antichristi? Filius hominis venit, ut servaret: At is, qui Christi spiritu non regitur, verbera tonat & mortem. Siccine nos ad vestram allicitis ecclesiæ? Iam cùm hoc Theophilus scribit, flagra stringit Borcovius. Quasi scilicet solus ille aut primus talis sit, & non potius major & potior pars Europæ, jam per universum serè seculum id ipsum constanter afferat, & firmiter demonstrat? Ista autem omnibus parciius ista Borcovius objicienda meminisset fortasse, si alibi viveret. Sed quæ nám præterea hæc est immodestia, si is, qui in omnibus (sub Christi spacio no nomine) contrarius est Christo, Anti-christus appelletur? Contraria est ecclesia Romana cum suo capite, tum quoad confessionem, tum quoad vitam & mores iis, quæ Christus & Apostoli docuerunt. Nam præter symbolum antiquissimum, quod vocant Apoliticum, quod sacris literis maximè vicinum est, nonne alia recipit novitia ab illo prorsus diversa & ei adversa? Nicènum dico, Athanasij & alia. In vita verò ecclesiæ Romanæ, cuius caput Papa est, appareatne Apostolica pietas, humiliatio, contemptus mundi, patientia, castitas, sobrietas, charitas & aliæ virtutes Christianæ? Certè quicunque id afferere vellet, nimis magnus adulator esset. En hoc ipsum, quod flagra minatur Borcovius, quām est Christianum, scilicet? *Papam in loco Patris omnes semper Christianos habuisse,* vana gloriatio est. Nam & olim aliter de illo senserunt plurimi, iisque minimè suspecti, ut alibi a nostris demonstratum est: & hodie potior pars Europæorum Christianorum aliter sentit & docet. *Papam de commodis & ornamentis Reipub: Christianæ cogitare, & nihil ei tam cordi*

spiritus Christi  
nominis minatur.

Quis antichristus  
sit.

cordi esse, quām ut oves sibi commissas servare & in portum vitæ eternæ perducere possit, bona quidem verba sunt, sed & antiquitū alias suis se occupationes Pontificum Romanorum, & hodie esse ipsa experientia testata est & testatur. Præterea non omnes, qui volunt intrare in regnum cælorum, intrabunt, teste Christo. Necesse est enim ad id, ut eo modo ad vitam a fœnra perducat aliquis alios, quem Christus præcepit, alioquin nihil prefecturus. Hoc verò quomodo præstare possit Papa, qui maximam partem cultus divini collocat in suis vel ecclesiæ traditionibus, quæ ad meram simulationem & falsum Dei cultum præcipitum sunt?

*Iuc: 13. 24.  
Non omnes, qui  
volunt servari,  
servabuntur.*

Regellio porro istius criminis in nos, quod scilicet magno Antichristo viam fœnamus, quām frigida est & ab impotenti animo profecta? Nobis enim verâ Dei & Christi gloriâ, & vera pietate, nihil carius, nihil antiquius est. Antichristi verò regnum totum in errore, totum in impietate constitutum est, alioquin Antichristus non esset futurus? Nos operam dare, ut fidei Christianæ nullum deinceps vestigium appareat, singulis quippe diebus aliquid ex illa detrahere, nihilque aliud contendere, quām ut primū angusta, deinde nulla sit. Paucula adhuc restare, quæ credimus, vel potius, quæ credere nos simulamus; sed nec ibi quidem diutius hæsuros, idque tum ex inconstancia doctrine nostræ, tum audacia & temeritate tanta, quanta major esse non possit, constare, convicia sunt Borcovii, quæ ne illis Dominus imputet, preceor. Interim ea sic refuto: Universam scripturam sacram ex animo admisiimus: symboli etiam Apostolici omnes partes confitemur. Quomodo igitur nos operam dare, ut nullum fidei Christianæ vestigium appareat, & paucula restare, quæ credamus, sine malevolentia dici potest? Ex hac fide nihil unquam detrahimus, sed ab aliis ad eam assuta detrahere conamur: & ut capræscindantur, quæ latam religionem Christianam fecerunt, annitimus, persuasum habentes, in paucis veram Christianam fidem prorsus sitam esse, nempe in fide Iesu Christi. Porro simulationis aliquem accusare, non est hominis puri. Solus enim Deus, & post eum Iesus Christus est *ναρθεκοντας*. Simulatio etiam in religione, quæ omnium injuriis exposita est, mundaria verò commoda nulla afferit, qualis est nostra, nullum prorsus locum habet. Perseveraturos nos in ea, quam profitemur, sanctissima fide, confidimus, freti Iesu Christi Domini nostri misericordiâ & auxilio. Quam inconstantiam appellat Borcovitus, ea ista veritatis cultura est, quam Deus nostris ecclesiis concedit: quam item audaciam & temeritatem objicit, ea est ista magnanimitas nostrorum cœtuum; quam Deus ipse hactenus illis indidit, ut omnes adversariorum copiæ ni-

*Simulationis quo-  
nám dijudicari  
possit, & ubi lo-  
cum habeat.*

hil proficere se ad oculum videant, etiam si numero illis longè simus inferiores. Hoc hoc male habet adversarios: sed frustra. Cum Deo enim negotium illis est, qui per ea, quæ non sunt, ea solet abolere, quæ sunt, ut nemo in carne glorietur, sed in Deo.

Supercilium, quo omnia contemnit Borcovi, quæcumque ab alio dicuntur, quæ a pontificio, non ignoramus, ideoque illum non curare mysteria, quæ Deus nostris patefecit cætibus, nihil miramur aut moramur. Adædificârunt etiam vestri Doctores ad fundamen-tum, quod est Christus Iesus, ligna, scenum, stipulas. Hæc exurit ignis verbi divini. Si quis exultis istis asciti titiis, tenebit fundamentum, sal-vus erit: sin vero ista ad aureum fundamentum astricta lignea straminea una cum fundamento tenere voluerit, nihil ei fundamentum proderit.


Quod me tandem mones, Borcovi, ut serium aliquid afferā, ne fucūfa-ciam, ne nodum in scirpo queram, ne adversarium sine causa calumnier, ne rationibus solvendis consecutiones & instantias meo capite dignas opponam, ne cum argumenta solvere non possim, fugiam, & tanquam sepia atramento effuso me abscondam, nisi contemtu potius quam re-sponsione dignus existimari velim, in eo egregium agnosco artificium: involare scilicet in adversarium verbis petulantibus, & pro imperio illum tractare, ut incautus lector ex verbis hujusmodi potius, quæ ex argumentis & rationibus judicium de eo faciat & eum contemnat. Sed an ego ista, quæ tu commoraras, committam, tuum est de-monstrare: Cordati vero & prudentes, quorum nos judici-um in hac controversia appellamus, examinent. Deus autem det intellectum omnibus.




<i>pag:</i>	<i>lin:</i>	<i>errata</i>	<i>correctiones</i>
24	11	legationem	ligationem
26	33	Oſea	Oſea
31		<i>ad finem initium sequentis</i>	
		angeli	anguli
34	18	pro ecclesiam	fidei
<i>ibid:</i>	22	idem	idem
42	26	<i>post constituendā omīſsum eſt noui</i>	
46	12,13	reſponſionem	reſponſione
51	11	definitio	definito
52	13	rationando	ratio cinando
54	22	lībris	libros
55	23	scriptus	scriptos
<i>ibid:</i>	29	ecclesia	ecclesiā
57	1	<i>ante prædicatione deest sine</i>	
<i>ibid:</i>	2	prædicarunt	prædicavit
61	11	diabolarem	diabolarem
73	33	viribus	ritibus
77	27	pera	opera
82	30	nunc	num
83	1	scripturam	scripturarum
89	30	Miedzibozius	Borcovius
90	22	prænuncianda	pronuncjanda
93	35	Apostolicorum	Apostolorum
94	34	pietate	pietate
95	32	nendum	nondum
<i>ibid:</i>	36	belligerari	belligerare
97	18,19	missorem	missionem
103	31	miſi	miſi
<i>ibid:</i>	38	munerī Episc:	muneris Episc:
111	28	baptismus	baptismum
<i>ibid:</i>	39	alius	alium



9555  
/ii





13888

9555  
2

